X 1500

36. 9. B. 34

CENTRALE V. E. II

AE.3.

36. 9. B. 34


BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
36
9
B
34

IVRIS CIVILIS FONTES ET RIVI.

Iuriſconſultorum veterum quidam loci, ex integris eorum voluminibus ante Iuſtiniani ætatem excerpti.

HENR. STEPH. LECTORI,

DVM meam totius IVRIS CIVILIS editionem expectas, (quæ quanto ſerius, tãto vtilius operam tibi nauabit, viámque multo ſolita breuiorẽ atque expeditiorẽ ad hæc ſtudia aperiet) nouum hunc libellum, velut editionis illius arrham, præmitto.





ANNO M. D. LXXX.

HENR. STEPHANVS LECTORI.

QVOD *olim Naſo cecinit*, Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, *id quàm verũ ſit, quotidiana nobis experientia oſtẽdit. Ac eodem ſanè modo vſuuenire videmus vt, ſiquam aliunde ſciamus deriuatam eſſe doctrinam, fontem eius monſtrantibus magnam gratiam habeamus, atque ad eum curriculo contendamus. Quòd ſi hoc omni in doctrina longè eſt(vt eſſe debet)gratiſſimum, quis in ea quæ omnes dignitate antecellit, idem futurum nõ ſperet? Ea eſt quam Græci Politicen, Latini, verbũ verbo reddentes, Ciuilem nominauerũt. Quæ ciuilis doctrina atque adeò ſciẽtia priuſquam emergeret, veluti ſubmerſam fuiſſe iuſtitiam ſatis cõſtat. Sed quemadmodum luci cõtrariæ tenebræ, eæ ſunt demum quæ maximam ac præſtantiſſimam illius vim arguunt, ita vbi omni politia deſtituimur, tum verò quanta ſit politicæ ſcientiæ vis, quantáque præſtantia, gemebundi pariter & admirabundi cognoſcimus. Maiores certè noſtri vitam quæ ſub nullis legibus viueretur, ferarũ potiùs quàm hominum eſſe, minimè negarunt. Quorũ è numero eſt Demoſth. necnon ille Græcus legiſlator, qui procemiũ quod legib. ſuis præfixit, ita eſt exorſus:*

Ἦν χρόνος ὅτ᾽ ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος,
Καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ᾽ ὑπηρέτης.

Id eſt,

Tempus fuit quum turbulenta eſſet hominum
Vita,& ferina,potentiorum ſub iugo.

Quæ quum ita ſint, minimè dubitãdum exiſtimaui quin doctrinæ politicæ ſtudioſis, fontium eius ſimul & riuorum aſpectus maximam allaturus voluptatem eſſet. Verùm ex riuis alios, primarios, alios, velut ſecundarios eſſe dico. Atque hoc appell: nomine (neſcio an ſatis propriè) riuos eos qui ex primarijs potius riuis quàm ex ipſis fontibus manaſſe videri queunt. Ita enim mea fert opinio, ſicut primos legiſlatores Ægyptios ex Moſaica politia pleraque (præſertímq; ea quæ legi naturæ conſentanea videbãtur) ita Græcos ex Ægyptijs multa ſumpſiſſe. vnde fit vt nonnullæ Solonis leges, ex iis etiã quæ aliquid ἰδιώτατον videntur habere, inter Ægyptias inueniantur. Atque hoc ipſum in cauſa eſt cur in quibuſdam legibus purior Ægyptiorum quàm Græcorum ſit nomotheſia. neque enim rationi cõſentaneum eſt vt ſecundarij riui eandem quam primarij puritatem habeant.

Neque tamen hæc à me ita dicuntur, quaſi harũ duntaxat gentium legibus dare locum oporteat. Inueniemus enim apud alias etiam minus celebres nationes, leges nonnullas quas admiremur atque celebremus digniſſimas. Ex quibus eſt illa Phrygum, vt ſiquis aratorem bouem occidiſſet, aut inſtrumentum aliquod eorũ quæ agriculturæ vſui ſunt, furatus eſſet, capite plecteretur. Habuerunt quidem certè commẽdatam & Græci quidam legiſlatores agriculturam, quum aratrum pignori accipi vetuerunt: ſed ita vt prudentia in iis meritò deſideretur: quippe qui aratrum quidem pignori accipi vetarẽt, at eum qui aratro vſurus eſſet, nexum inire permitterent. Quòd ſi

mihi

mihi de quapiam meorum etiam maiorum lege mentionem licet facere, nullã, poſt Moſaicam (quæ Deũ ipſum autorem habuit, non homines) inueniemus, quæ peregrinos æquè commendatos habeat ac Celtica. Hæc enim eum qui peregrinum ſeu extraneum occidiſſet, capite plectebat: at qui ciuem, duntaxat in exilium pellebat. Quis verò neſcit nullam hodieque nationem eſſe quæ erga peregrinos æquè comem ſe oſtendat? quæ ita illis omnia humanitatis officia exhibeat? Niſi fortè alicubi ciuilia bella, ſicut alia quadã maiorum noſtrorum præclara inſtituta, ita hoc etiam labefactarunt. Quòd ſi totam illorum nomotheſiã haberemus, non dubito quin multa ſicut illi peculiaria, ita etiam maxima laude digna reperirentur: præſertim verò eorũ quæ nõ tam ad τὸ ἀκριβοδίκαιον (quod vulgo iuriſconſulti ſtrictum ius appellant) quàm ad τὸ ἐπιεικὲς, ſeu τὴν ἐπιείκειαν, pertinẽt. Atque hoc inde colligo quòd iſtud ipſum verbum non alia quàm noſtra lingua retinuerit. Dicimus enim Epicaïe. *ſic tamen vt magis vſitatum ſit verbum inde factum* Epicaïzer.

Verùm ad Ægyptiorũ leges vt reuertar, in quarum nonnullis maiorem quàm in aliorum legibus puritatem cerni dicebam, fuit quidem illorum nomotheſiæ hoc veluti axioma, puniendum quemque per id eſſe membrum, per quod deliquiſſet: ſed tamen, quum ſeruando id axioma, lingua tantùm abſcindenda eſſet peierantibus, videmus lege illorum pœna capitali affici. Hoc quoque & in illis legibus & in quibuſdã aliis earum quæ ad primarios referendæ ſunt riuos, conſiderandum eſt, nõ eam eſſe in pœnis aduerſus delinquentes conſtituendis προσωποληψίαν quæ in ſe-

cundariorum riuorum legibus cernitur: multo tamen ea minor quæ in riuulis (ita enim voco poſtremum Romanorum ius ciuile)paſſim occurrit:quũ non tantùm inter liberum & ſeruum, inter ciuem & peregrinum, in ſanciendis pœnis diſcrimen ponatur, ſed ad perſonarum qualitatem variè accommodentur.

Verùm lectorem de hoc quoque præmonitũ velim, antequam ad legum antiquarum lectionem veniat, quaſdam earum eſſe quæ quum prima fronte abſurdæ videri poſſint,contrà,ſi introſpiciantur,optima niti ratione comperientur. Huius generis eſt ea cuius mentionem feci in iis quæ præfatus ſum meæ editioni oratorum duodecim. ea nimirum lex qua multo grauiore pœna in adulteros animaduertitur qui obſequio & blandiloquentia omnibúſque pellaciæ artibus graſſati fuerint, quàm ÿs qui vim adhibuerint. Hac certè lex (vt ibi dixi) exemplo nobis eſſe poteſt, primos legiſlatores multarum legum rationes ex philoſophiæ penetralib. depromſiſſe. Adeò vt niſi ei qui legem iſtam tulit συμφιλοσοφεῖν *in eius conſideratione velimus,paradoxa loqui viſurus ſit: imò etiã vulgari regulæ contraria,quæ volenti & conſentienti iniuriam fieri negat: & modo non à ſenſu communi diſſentire. At quum prodit in medium ratio, quæ illud adulterÿ crimen non tantùm in ipſius vxoris ſed etiam in mariti & liberorum perſona (ſi ita loqui licet) ponderat atque æſtimat: tum verò habemus in quo ſummum illius legiſlatoris iudicium ſummámque prudentiam admiremur. Sed quomodo crimen illud (dicet aliquis) in mariti & liberorum perſona æſtimari ais? Quum non ſolùm quod fit vxori, ſed in eo quòd illi fit, ea quæ marito & liberis in-*

fertur

fertur iniuria conſideranda proponitur. Qui enim honeſtæ matronæ vim intulit, nequaquam eius animum à marito & liberis alienauit, & debitum illis amorē ad ſe traduxit, ſed contrà illam aduerſus ſeipſum ita efferauit, vt quæ Naſo, poſt Euripidem, de furore illius mulieris canit, quæ ſui lecti pellicem deprehenderit, multo iuſtius huic tribui, vnius hemiſtichij mutatione poſſint. Contrà verò, qui hoc ab aliqua matrona eblāditus eſt, non autem vim flagitio adhibuit, ſic eius animum tranſuerſum rapuit, vt illa ipſum, quem inexpiabili odio proſequi debebat, ſummo amore complectatur: maritum & liberos, quos amabat antea, (ſicut & à natura ipſa id facere iubebatur) cane peius & angue oderit: hos pauperet, bona his ſuffurās quibus illum locupletet: tandem etiam fortaſſe in mariti necē vnà cum adultero coniuret. Vide autem (obſecro) quantus ſit celeberrimi ſcriptoris Xenophontis cum noſtro legiſlatore conſenſus, in Hierone, ſiue Tyrannico. Ne vrbes quidem ignorant *(inquit)* amicitiam maximum ſuauiſsimúmque bonum hominibus eſſe. In multis ſiquidem impunè adulteros occidere lex permittit: ideo nimirum quòd eos vxorum erga maritos amicitiæ corruptores eſſe iudicent. Alioqui enim ſi contingat vt mulier caſu quopiam opus veneris faciat, in nihilo minori apud maritum eſt honore, ſi modò amicitiam manere intemeratā exiſtimet. *Quis, poſtquam hæc perpenderit, legem illam quæ primo aſpectu abſurda et ridicula habita fuiſſet, niſi optima ratione, vel potiùs optimis rationibus, nō fateatur? Sed paucis etiam, ab eo qui legis illius patrocinium ſuſceperit, reſponderi ita poteſt: Qui vim infert mulieri,*

corpus dũtaxat corrumpit: at qui hoc ab illa ſine vl-la vi impetrat, non tantùm corporis, ſed animi quo-que eſt corruptor. Romana quidem certè nomothe ſia huius quoque ſtupri (nam ita vocat) cui vis adhi bita non fuit, mentionem facit: ſed rem non perinde examinans. Eadem lege Iulia *(inquit Iuſtinianus)* etiam ſtupri flagitium punitur, quũ quis ſine vi vel virginem vel viduam honeſtè viuentem ſtu prauerit. *Dubium tamẽ non eſt quin illam quam di-xi animi muliebris corruptelã ab adultero factã, gra ui ſupplicio dignam exiſtimaturi fuerint qui eum à quo vel ſerui animus corruptus eſſet, non impunè id ferre voluerunt. Ita enim imp. Alexander, L.4. Cod. De furtis & ſeruo corrupto,* Aduerſus eum dun-taxat quem ſeruum tuum ſollicitaſſe dicis, ſi eũ deterioris animi fecit, ſerui corrupti agere po-tes. *At verò Ægyptij ſtuprũ cui vis adhibita non eſſet, ſeuerius in muliere quæ ſui poteſtatem feciſſet, quàm in viro qui ea poteſtate vſus eſſet, vindicabãt. nam virum quidem verberari vſque ad mille plagas, ſed mulieri naſum abſcindi iubebãt. Eius autem qui vim intuliſſet, pœna erat amputatio virilium.*

Ad abſurdas autem & ridiculas leges quod atti-net, (vt certè quædam non videntur duntaxat tales, ſed re vera ſunt) ab eo populo qui abſurdam aliqua de re tulit legem, ad eum qui rationi cõſentanea ea-dem de re tulerit, confugere poſſumus. Sic ad furtum quod attinet, ab Ægyptiis ad alios cõfugiemus: quo-niam nugatoriam de eo legem tulerunt: & quidem eiuſmodi vt potius ad inuitandũ & fouendum quàm ad arcendum furtum faceret. Volebat enim, eos qui furandi artem exercere vellent, apud ἀρχιφῶρας, *q. d.*

archi-

archifurem (id eſt furũ primariũ,ſeu principem: vel furum præfectum) nomen ſuum deſcribere, & furtũ ad eum eueſtigio portare: eóſque itidem quibus aliquid furto ablatum erat, apud illum furum principẽ vnumquodque eorum quod amiſiſſent, necnon locum, diem & horam ſcribere: vt hac ratione inuento facilè furto, is qui hanc rem amiſiſſet, data pretij quarta parte eam recuperaret. In ea itidem vrbe quæ mihi patria eſt (de Pariſiis loquor) eſſe quendam ἀρχιφῶρα, vulgo notum, et multa eius auxilio recuperari, inficias ire nolim: ſed is per conniuentiam duntaxat (vt ita dicam) toleratur. Quam tamen conniuentiã nihilo magis probare poſſum, quàm rationem quæ ab Ægyptio legiſlatore afferebatur. Se enim id permittere dicebat, quoniam quum omnium animi à furto auocari atque auerti nõ poſſent, ſatius foret, quicquid amiſſum fuiſſet recuperari, paruo redemptum pretio. Vt autem ridicula erat hæc legiſlatoris Ægyptij indulgentia (nam quo alio nomine id appellem?) ita nimium ſeueram Græcus aduerſum fures legem tulerat: quum furem cuiuſcunque modi furti capite plecti iuberet: etiam eum qui olera tantùm aut arboris alicuius fructus ſubripuiſſet. Sed huius vetuſtiſſimi legiſlatoris, cui nomen erat Draconi, ſeueritas à ſuis etiam, tanquã nimia, damnata fuit. quam notans Demades, eum non atramẽto ſed ſanguine leges ſuas ſcripſiſſe aiebat. Ac certè Stoicam dementiam videri poterat lex illa olere, quam ſimul & Draconem taxans Horatius, dixit,

Nec vincet ratio hoc, tantundem vt peccet idémque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus diuûm ſacra legerit. adſit

Regula,peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Nec ſcutica dignum,horribili ſectere flagello.

Plato tamen inter magna & parua eodem tollit modo diſcrimen: ſed non itidem capitalem aduerſus illa pœnam ſanciens. Ad fures autē quod attinet, (*inquit*) ſiue rem magnam ſiue paruam furentur, vna lex aduerſus omnes atque pœna ſtatuta ſit. Quod enim furto ablatum fuerit, *&c. Nam quæ ſequuntur, in hoc libello habes, pag. 78. vbi vltima legis verba illi vulgari dicto aſſentiri vidētur,* Qui nō habet in ære, luat in corpore. *Cui loco diſcrimen illud (vt dixi) tollenti, aſſentitur aliis: ſed de furto loquens rei alicuius quæ ſit publica. Ratio tamen quã ſubiungit, non magis aduerſus furtum rei alicuius publicæ (quod peculatum vocant, ac præſertim vbi de publica pecunia agitur) quàm aduerſus eum qui rē quampiam priuatā ſit furatus, habere locum poteſt.* Nam qui rem paruam furatur (*inquit*) eadem cupiditate quidem, ſed minore furandi facultate furatur. *Quemadmodum autem primæ Græcorum leges, aut ſaltem primis proximæ, quas nimirum Draco tulit, nimis graues in quædam delicta pœnas ſtatuiſſe iudicatæ ſunt: ita etiam primæ Romanorū, quas decemuiri compoſuerunt, inque* XII. *tabulis conſcripſerunt. Quamobrem quod illis, idem & pleriſq; harum contigit, propter nimiam acerbitatem (poſteritatis quidem certè iudicio) vt ſi non decreto publico, at tacito populi conſenſu obliterarētur. Verum inter illas decemuirales, nonnullæ viciſſim nimium ſe molles in vindicandis quibuſdam delictis oſtendebant. Cuiuſmodi eſt hæc, quam eo nomine Phauorinus apud A. Gellium exagitat,* SI INIVRIAM

ALTERI FAXIT, XXV AERIS POENAE SVNTO. Quis enim erit tam inops, *inquit*, quē ab iniuria facienda XXV aſſes deterreant? *Atq; id cuiuſdam L. Neratij exemplo ibi confirmatur: cui quum voluptati eſſet, os hominis liberi manus ſuæ palmâ verberare, ſeruum ponè habebat, crumenam plenam aſſium portantem: & quemcunque depalmauerat, huic ſtatim ſeruum ſuum, ſecundum XII. Tabulas, quinque & viginti aſſes numerare iubebat. Verùm id de leuiori tantùm iniuria intelligebatur: quū etiam talionem pleriſque impoſuerint. Sed hunc quoque ille exagitat, vt cuius iuſta executio in quibuſdā ne procedere quidem poſſet.*

Illa decemuiralis nomotheſia furem manifeſtum ei cui furtum factum erat, in ſeruitutem tradebat, nocturnum autem furem ius occidēdi tribuebat. Seruius quoque in quēdam Virgilij locum, capitale apud maiores fuiſſe furtum tradit: ſed poſtea pœnam quadrupli fuiſſe illi impoſitam. Paulatim verò etiam quadrupli pœna minuta fuit, & in dupli pœnam cōuerſa. Sed & exilio mulctatos fuiſſe quoſdā teſtatur Oroſius. Furtum ne leges quidem niſi mulcta pecuniaria, vel, ad ſummum, exilii, circa quemlibet hominū, vindicandum cenſuerunt. *Iuſtinianus tandē ſuam & pœnæ furum, ſicut & aliorum quorundam maleficorum, moderationem adhibuit. Mirum tamen videri poſſit, creſcente hoc maleficio pœnam eius decreuiſſe. Potius enim rationi conſentaneum videtur eſſe, vt quo frequentius eſt aliquod maleficium, eo grauius ſupplicium illi, deterrendi cauſa, imponatur. Atque adeò Vlpianus, L. 1. De Abigeis,* Abigei *(inquit)* quum duriſsimè puniuntur, ad gladium dāna-

ri ſolent. Puniuntur autem duriſsimè non vbique, ſed vbi frequentius eſt id genus maleficii. *Verum hoc non video cur non & in quouis furti genere locum habere debeat, vt quę eſt in loco frequentius, in eo durius etiam puniatur. Iam verò, quod de loco, cur non & de tempore dicetur? Sed maior quæſtio oritur, quî factum ſit vt omni ætate, & in omni propemodum natione, parui fures potius quàm magni affecti ſupplicio fuerint. Nam ad Græcos quidē quod attinet, legimus, Democratem dixiſſe furi cuidam quē ab Vndecimviris abduci videbat,* Cur, ô miſer, parua furatus es, ac non potius magna: vt tu quoque alios abduceres? *Apud Romanos audimus M. Catonē quadam in oratione dicentem,* Fures priuatorū furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt: fures publici, in auro atque in purpura. *Apud noſtrates autem fidem eius rei facit vulgare prouerbium*, Les gros larrons menent les petis au gibet. *Vel*, Les grands larrons. *nam vtroque modo dicitur. Sed cur quæſtionē hac de re oriri dixi? Imò verò in promptu ratio eſt, ex legiſlatore ſiue Solone, ſiue Zaleuco (vtrique enim tribuitur)* Leges, aranearum telis ſunt ſimiles. ſicut in illas ſi muſca aut culex inciderit, extricare ſe non poteſt: ſin veſpa, aut apis, diſrupta tela auolat: Ita ſi in leges pauper inciderit, detinetur: ſin diues, aut eloquens, perruptis illis elabitur.

Aliud igitur quærendum eſſet: an qui magna illa furta committunt, non grauius quàm qui parua, puniendi eſſent. Haud certè maiore pœna eſſent afficiendi, ſi eam quam antè attuli Platonis ſententiam ſequi vellemus. Si enim eadem pœna ſtatuenda eſt,

ſiue

ſiue quis rem magnam, ſiue paruam furetur (vt quod de furto publicæ alicuius rei dicit, latius extendatur) ei qui magnum furtũ committit, haud grauior imponenda pœna fuerit quàm ei qui paruum. Sed Chriſtianorum leges rationem eam quæ redditur nequaquam admittunt, atque adeò minimè diſcrimen illud tollunt. Neque enim noſtri legiſlatores ita de furantibus iudicarunt, vt quiſquis in animum inducit rem exiguam furari, idem & ad rei precioſæ furtum ſit animum adiecturus, ac tandem etiam obfirmaturus. Et puniũt quidem furtũ noſtræ illæ leges interdum mitius, interdũ ſeuerius: plerũq; virgarũ aut flagelli verberibus, ſed & ſuſpẽdio nõnunquã: veluti quũ magnũ eſt furtum, aut quum domeſticum, aut non primum, ſed ſecundum iam aut tertium eſt. Aliquando & reuerentiæ quæ ei in quem admiſſum fuit, debebatur, haberi ratio ſolet: aut etiã reuerentiæ debitæ loco in quo factũ eſt. vt videmus, multos Pariſiis quũ in baſilica forenſi furtũ admiſiſſent, adhuc delicto propemodũ flagrante ſuſpẽſos fuiſſe. Verùm ætatis præſertim ratio ea in re ſolet à Gallis haberi. Quam tamen fateor olim nõ habuiſſe quendã noſtratẽ iudicẽ: quod fecit vt eius ſeueritas in prouerbium abierit. Eius enim hæc erat perpetua cantilena: de ſene quidem, Suſpendite, ſuſpendite: alia multa furta commiſit. De iuuene autem, aut etiam puero, Suſpendite, ſuſpendite: alia multa committet. Sed maiorem gratiam Gallica eius verba habent, Pendez, pendez: il en a bien faict d'autres. *&,* Pendez, pendez: il en fera bien d'autres. *Sed tu Draco, aut Draconiſta ſaltem, nullúmne Dei miſericordiæ ſimul & potentiæ relinquendum locum putas? Si ſenem, & quidem iam decrepi-*

tum miſeratus, eius mutare animum poteſt: pueri animum, qui ad omnia velut cereus eſt, mutare nõ poterit? Certè & in illis adeò ſeueris X II. Tab. legibus, alicubi ætatis rationem, in conſtituenda pœna, videmus haberi. Vlpianus non ætatis ſolùm, ſed aliorum etiam multorum rationem vult haberi in ſtatuenda ſacrilegij pœna, L.6. D. ad legem Iul. pecul. & de ſacrilegijs. Sic etiam Adrianus imp. L.2. D. De termino moto. Sed interim, ex tanta iudicis illius ſeueritate caue colligas lector, plures olim in Gallia furto, quàm nunc, deditos fuiſſe: quum hiſtorici contrà narrent, maiores noſtros, aut certè maiorum noſtrorũ maiores, ſuarum ianuarum fores claudere ſolitos non fuiſſe. τὰς ⁊ θύρας τῶν οἰκιῶν οὐδέποτε κλείουσι, *inquit Nicolaus Damaſcenus. Quod quidem nullos tum apud Celtas fuiſſe fures, apertè teſtatur. Et maius certè eſt apertis domibus ipſis viuere, quàm quod à Iuuenali de ſeculi aurei hominibus dicitur, eos apertis hortis vixiſſe. Fateor tamen laudem illam nobis cum Æthiopibus eſſe communem, eodem Nicolao teſte: ſcribit enim eorum domos ne habuiſſe quidem vllas fores. Niſi fortè maior etiã quàm noſtra dici hæc laus debet. Addit ſanè, neminem furari ſolitũ fuiſſe, quanuis multa in viis iacerẽt. Quàm verò mirũ eſt, q̃buſda in locis nullas aduerſum fures fuiſſe ſtatuẽdas leges, ꝙ nulli eſſent, tã mirari debemus, fuiſſe vllos homines adeò parũ homines vt furta ſuis permitterent, peruerſo cuiuſdã legiſlatoris iudicio iudiciũ ſuũ mãcipantes. Qui autẽ furta, etiam adulteria illis permiſerunt: ſicut adulteria quoque furtorum nomine à poetis appellantur. Eodem certè modo & in alijs quibuſdam legibus nonnulli legiſlatores excipi potuiſſent.*

(nam

(nam, exempli gratia, non vult Solon filium teneri patrem alere, ſi nullam ab eo artem doctus fuerit: & filiæ alicubi eos alere cogebantur, filij non item.) verùm huiuſmodi exceptionibus (quæ non magis antinomiæ quàm manifeſtæ anomiæ ſunt) chartas inquinare puduit. nam perinde me facere exiſtimaſſem acſi medicus naturam mellis deſcribere volens, dulcedinem illi ſine exceptione tribuere non auderet: quòd ijs qui ictero laborant, amarum eſſe videatur.

Sicut verò in alijs nomotheſiis, ita & in Platonica prudentiam interdum deſiderari conſtat. ſed hic tamen quædam ſibi peculiaria habet, in quibus

Οἶος πέπνυται· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι

Cuiuſmodi eſt lex quam fert aduerſus eos qui ſibi mortem conſciſcunt. qui tamē & à Pythagora dānati fuerunt. Vetat Pythagoras *(inquit Cic. in Catone maiore)* iniuſſu imperatoris, id eſt Dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedere. *At Seneca, quem in aliis pleriſque ſolum inter ethnicos ſapere cenſemus, nunquam hoc nec Pythagoras nec Plato perſuadere potuiſſent.*

Ne igitur vel Platoni vel cuiquam aliorum legiſlatorum fiat iniuria, inſignia cuiuſque & magis conuenientia politicæ Dei nomotheſiæ (veræ nomotheſiarum omnium normæ) νομοθετήματα, *nos Chriſtiani ab alta religionis noſtræ ſpecula (vnde illos fluctuantes alioqui circa pleraque cernimus) pauliſper contemplemur: in memoriā reuocātes quæ Paulus Apoſtolus de gentibus dicit, eas Legem non habentes (illam nimirum diuinam Legē, à Moſe traditam) Legis opus in cordibus ſuis ſcriptum oſtendere, vnà teſtimonium reddente ipſorum conſcientia. Sic*

profectò videmus Alexandri Seueri conſcientiam teſtimonium perhibuiſſe de veritatè cuiuſdam apud Chriſtianos celebris dicti. Hæc enim de illo Ælius Lampridius ſcribit, Siquis de via in alicuius poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci aut fuſtibus ſubiiciebatur,in conſpectu eius,aut virgis, aut condemnationi. Aut, ſi hæc omnia tranſiret dignitas hominis, grauiſsimis contumeliis: quum diceret, Viſne hoc in agro tuo fieri quod alteri facis? *Quod quū diceret,ſimul eius conſcientia illi Chriſtianorū dicto teſtimoniū reddebat.Subiungit enim Lampridius,* Clamabátque ſæpius quodá quibuſdā ſiue Iudæis ſiue Chriſtianis audierat,& tenebat:idque per præconem, quū aliquē emēdaret,dici iubebat, QVOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Quam ſententiam vſqueadeo dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus perſcribi iuberet. *Et iure quidem optimo ſententiam illā tanti imperator ille faciebat. Nam, vt Lactantius ſcribit, lib.6, de vero cultu,* Ferè in hoc iuſtitiæ ſumma conſiſtit,vt non facias alteri quicquid ipſe ab altero pati nolis. *Sed Alexander Seuerus apud ſuos etiam aliqua ad ſententiam illam accedentia inuenire poterat: ex quibus eſt hoc, Ab alio expectes, alteri quod feceris. His autem verbis conſentanea eſt lex talionis, quam vt apud Moſem,ita etiam in Tab.XII,habemus. Hanc ſanè legem natura ipſa & conſcientia dictare nobis videntur. Atque ad talionem pertinet etiam quod inter Ægyptios receptum erat, vt qui falsò quempiam accuſaſſet,pœnam ſubiret quæ accuſato ſubeunda erat,ſi conuictus fuiſſet. Enimuero non hanc legem*

gem tantùm, ſed & cæteras, ethnicos ex conſcientia petiiſſe quidam exiſtimant: vt certè nobis quoque illam quæ officij noſtri ſunt dictare ſentimus: adeò vt quendam αὐτοδίδακτον νόμον ἡμῖν ἐν τῷ συνειδότι κεῖσθαι *(vt ex Græcis theologis quidam loquutus eſt) negare nõ poſſimus. Ille autẽ* αὐτοδίδακτος νόμος, *eſt ille ipſe qui ab Ariſtotele vocatur* κοινὸς νόμος ὁ κατὰ φύσιν. *Cũ quibus cõgruit quod dicit eſſe* δίκαιον *quoddã* ἔμψυχον. *Huc pertinent & quæ à philoſophis appellãtur* κοιναὶ ἔννοιαι *(vulgò communes notitias dicimus) ſiue* προλήψεις. *Sed hîc* κοιναὶ ἔννοιαι *ſunt intelligendæ quas concipimus de eo quod iuſtum, & de eo quod iniuſtum, de eo quod honeſtũ, déq; eo quod turpe eſt. Apud Arrianum* ἔμφυτον ἔννοιαν *eadem de re legimus, quæ nobis vice doctoris eſt ad intelligendum iuſti & iniuſti, honeſti & turpis diſcrimen. De hac lege naturæ quædam præclarè à Cicerone ſcripta fuerũt, in libr. De republ. quæ à Lactantio referũtur. Hanc legem idem appellat etiam Ius naturæ: ſed & Ius gẽtium: interdum & Ius diuinum: quinetiam Ius æternum. Cuius poſtremæ appellationis rationem videmus in loco illo qui à Lact. affertur. Nec verò mirandum eſt vocare etiam Ius gẽtium, quòd omnibus propemodum gentibus (quaſdam enim eſſe excipiendas, vel ex iis quæ antea dixi, apparet) inter ſe cõueniat de iis quæ natura dictat. Alioqui ius gentium à iure naturæ diſtinguitur etiam in quibuſdam, ab ipſis iuriſconſultis. Idem in oratione pro Milone legem vocat non ſcriptam, ſed natam.*

Hæc autem quum ita ſint, an cũctas leges in vnaquaque gente velut αὐτόχθονας *eſſe dicendum eſt? Minimè profectó. nam ipſos etiam Græcos fateri vi-*

¶¶ i.

demus, Solonem ipſum quaſdam è ſuis ab Ægyptiis mutuatum eſſe. Neque tamen negandum eſt, hoc de multis dici poſſe ad quæ conſcientiæ humanæ iudiciũ (non extincto prorſus ne in ethnicis quidem hominibus eo quod Deus illi inſeuit lumine) peruenire poteſt. Sed falli hoc iudicium plerunque in variis legibus perſpicimus: & quidem interdum vnius legiſlatoris iudicium quapiam in re εὐστοχεῖν, *alterius autẽ,* ἀστοχεῖν. *Cuius rei exempla libellus hic ſuppeditare poterit: in quo etiam videbimus interdum ex multis legiſlatoribus vnicum, aliquid quod neceſſarium erat, perſpexiſſe. Quod iure optimo de illa Ægyptij legiſlatoris lege dicetur, quæ eum morte mulctari iubet qui per regionẽ iter faciens, & hominem interfici aut ei violentiam quampiam inferri videns, non prohibuerit, quum poſſet. Nam lege Cornelia punitur nõ qui hoc, ſed qui multo minus maleficiũ nõ prohibuerit quum poſſet. (quis enim multo minus maleficium eſſe non fateatur, adulterare monetam, quàm humanum ſanguinẽ fundere? etiãſi plus damni inde quàm hinc ſentire poſſit reſpublica?) L. 9. D. De lege Cornelia de falſis.* Lege Cornelia *(inquit Vlpianus)* cauetur, eum qui in aurũ vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos conflauerit, falſi crimine teneri. Eadem lege, pœna afficitur etiã is qui quum prohibere tale quid poſſet, non prohibuit. *Quinetiam videmus, eundem illum legiſlatorem Ægyptium iubere, eum qui ei cui vis fiat, opitulari non poſſit, ſaltem latrones indicare, eámque iniuriam iudicio perſequi.* μηνῦσαί γε πάντως *(inquit Diodorus)* ὤφειλε τοὺς λῃστὰς, καὶ ἐπεξιέναι τὴν παρανομίαν. *At Plato quum de cæde hoc non ſanciat, de*

multo

 17

multo minore delicto ſancit, libro VI. *& quidem illo ipſo verbo* ἐπεξιέναι *vtens.* ὁ δὲ αἰσθόμενός τε καὶ πυθόμενος, μὴ ἐπεξιὼν, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνεχέσθω νόμοις. *Quin etiam multa ſunt crimina quæ permittit quidem ad magiſtratum deferri, ſed non iubet. Qua in re multo magis prouidos ac vigilantes ſe oſtenderunt Zaleucus & Charondas, vt in meis Schediaſmatis docui. Atque huc pertinent illa Moſis, Leuit.5,* Quum autem anima peccauerit, id eſt, audierit vocem iuramenti, & ipſe ſit teſtis quòd aut viderit aut ſciuerit, niſi renũtiauerit, feret pœnam iniquitatis ſuæ. *Sed multo etiam magis deſiderabit in Platone naturale illud iudicium qui leget quam aduerſus falſos teſtes tulit legem. adeò ſe lentum ac patientem, remiſſum ac mollem erga illos oſtendit.* Siquis *(inquit)* falſum teſtimoniũ bis dixiſſe comperiatur, eum nulla lex tertiò teſtem eſſe cogat: ſi ter, ne liceat quidem illi teſtimonium dicere. Sin teſtis eſſe audeat, quum ter falſi teſtimonii conuictus fuerit, eum cuicunque libebit ad magiſtratum deferat: qui eum conſeſſui iudicum tradat. quòd ſi conuictus fuerit, morte mulctetur. *Quis talem à Platone legem expectaret? quis hîc Platonem in Platone agnoſceret? Primùm periurium non ſolùm non punire, ſed etiam ad dicendum teſtimonium poſtea admittere, quid aliud eſt quàm periurio viam aperire, atque ita iuriſiurandi religionem ludibrio quodammodo exponere? Nimirum quemadmodum dixit ille,* Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam, *ita hic, vetus ferendo periurium inuitat nouum: ac quemadmo-*

dum cuiuſdã regis Galli morio, quum rex de quodã cõquereretur qui homicidij veniã petebat, & diceret, Atqui iam tertium homicidium eſt: Quid ais *(inquit)* domine? *(ita repræſento vocẽ Gallicam* Sire, *qua eum cõpellabat)* imò primũ duntaxat homicidiũ perpetrauit: tu ſecundum & tertium. Nam ſi primi veniam illi non dediſſes, vnicum illud commiſiſſet: *Eodem certè modo legiſlatorem hunc ſecundi ac tertij periurij reum eſſe, nõ immeritò quiſpiam dixerit. Iam verò & decemuiros alicubi dormitaſſe comperiemus, ſi omnes eorũ leges attentè conſideremus. Imò verò quædã prima etiam frõte tales deprehendentur. Veluti in talionis lege, volunt illi, ab eo etiã qui per imprudentiam membrum aliquod alteri ruperit, iniuriam illam retaliari. Atqui (vt obiicit Phauorinus quoq; apud A.Gellium) quod per imprudentiam factũ eſt, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus & conſultus non cadũt ſub eiuſdem talionis ſimilitudinem. Quónam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione non licentiæ ius habet, ſed imprudentiæ? Verùm & aliud illis legiſlatoribus obiici hîc poteſt, quòd contra naturæ legem & cõmunem ſenſum velint de eo quod quis imprudens fecerit, eaſdem ac ſi prudens ſciénſque feciſſet, pœnas dare: quum potius legiſlatores plerique quod per imprudentiam et fortuitò factum fuerit, impunitum omnino ſiuerint. Quo magis quædam Hadriani verba miror, (quod pace imperatoriæ maieſtatis dixerim) in reſcripto de termino moto,* Quòd ſi per ignorantiã aut fortuitò lapides furati ſunt, ſufficiet eos verberibus cædere. *Neque tamen homicidium fortuitũ exilio pu-*

lio punitum fuiſſe ignoro. Quem morem iuriſconſulti ab Homero uſque repetunt, L.16.§.8. D. De pœnis: ſedita vt generalius fortuitorum caſuum atque exilij voluntarij mentio ibi fiat. At verò pœna quæ in animalia bruta quibuſdam legibus eſt conſtituta, minus mira, propter ſimilem Moſis ſanctionem, videri nobis debet: cuius ſanctionis ratio etiam quædã reddita in hoc libello fuit. Verùm & quod ibidem habes à Dracone in res etiam inanimas ſancitum, imitata fertur Toloſatum curia. Quidam enim iuriſconſultus ſcribit ſe enſem ibi ſuſpenſum vidiſſe, eius curiæ decreto, anno M.D.XL. 4. *Id. Apriles.*

SED IAM *tempus eſt ad varia ethnicorum legiſlatorum veniendi* νομοθετήματα, *vt exempla ſint eorum quæ hactenus vtranque in pártem de illis dixi. Vnicuique autem poſt ea quæ in hoc libello ſunt Dei præcepta (ad quæ examinari omnia debent) locum ſuum dabo. Verùm te, lector, monitum ſimul volo, eadem me opera redditurum eſſe quorundam quæ ibi dixi rationem, quædam etiam illis adiecturum.*

¶ *Primùm igitur, ad periuriũ quod attinet, Ægyptiorum legem maiore quàm cæteras reuerentia nomen Dei proſequi, ideóque palmam illi deberi fatendum eſt: magiſque pura ex illo riuo quàm ex alijs multis hauriri ſanctio poteſt, & ad fontis puritatem magis accedens. Periurium enim Ægyptijs capitale eſſe videmus. Atq; hoc eo magis obſeruatione & admiratione dignum eſt, quòd quum illorum nomotheſiæ hoc eſſet axioma, vt vnicuique membrum id per quod deliquiſſet, pœnam pateretur, periuro amputanda tantùm fuiſſe lingua videri poſſet. Hoc igitur*

Ægyptiacum criminis illius ſupplicium puram quandam ſeueritatem fortaſſis appellare licet: viciſſimque dicere, aliquid turbidæ mollitiei habere illas quæ pœna capitis crimen illud vindicare auſæ non fuerunt.

Atque hanc querelam aduerſus illos etiam legiſlatores iacere poſſumus à quibus dictum eſt, Iuriſiurandi contempta religio ſatis Deum vltorem habet. *Siquidem Alexandrum imperatorem dicti huius comprobatorem potiùs quàm autorem eſſe puto. Sed quum periuris crucem figi ne ille quidē imperator voluerit, verba illa (ſiue eorū autor, ſiue tantùm ſit approbator) multorum iuriſconſultorum animis crucem fixerunt: dum, quò in illis reſpiceretur, ſine fine quærerent.*

¶ *Proximum eſt, primum poſterioris Tabulæ præceptū, quo parentes honorare iubemur: in quo etiam valde purū complures legiſlatores ſuum riuum ſeruaſſe, dicere poſſumus. Sed quum in eo de honorandis parentibus agatur, poteram, à genere ad ſpecies veniens, nonnulla proferre quæ ſi à liberis prætermittātur, ſuo parentes honorandi officio defuiſſe dici non ſolùm poſſunt, ſed etiam debent. et tamen (quod mirum eſt) à multis Chriſtianis prætermittuntur: quum pleroſque ex ethnicis (præſertimque priſcis) ea etiam in re ſuo functos fuiſſe officio videamus. Inter illa autem non vltimum locum tenet quod apud Xenophontem legimus, Cyrum nolle Cyaxaris filiam, licet grandi cum dote multiſque muneribus offeratur, niſi ex patris matriſque conſenſu in vxorem ducere. Sic certè iure ciuili hanc à liberis requiri honeſtatem aut etiā pietatem videmus, vt non ſine cōſenſu parentum matrimonium contrahant. Inſtitut. De nuptiis,* Dum

tamen

tamen, ſi filiifamiliâs ſunt, conſenſum habeant parentum quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio ſuadet: in tantum vt iuſſus parentis præcedere debeat.

Quod autem ad extenſiones huius parentum honorationis attinet, in quibus, ſicut et in aliis aliarum legum, ſeruata eſt quædam velut analogia, miretur aliquis fortaſſe me de honorandis magiſtratibus & principibus, prius quàm de honoratione ſenum generali non dixiſſe. Verùm eò reſpexi, quòd ſenibus hominibus, patrum, ſenibus fœminis, matrum nomẽ iuniores, quodam naturæ impulſu, dare ſoleant: & quidem in Græca lingua vel maximè: vt multis exemplis in Græcæ linguæ Theſauro oſtendi. Sed & quædam ſunt in Græca lingua voces quæ à nomine quod ſenẽ ſignificat deductæ, ſenilem ætatem per ſe honorãt. Cuiuſmodi ſunt πρεσβεύω & πρεσβεῖον. Cæterùm iis quæ ad extenſionẽ illam attuli, poſſit adiici quod de Tarteſſiis legimus: nefas apud illos fuiſſe, aduerſus natu maiorem teſtimonium dicere.

Potui autem fortaſſis ac debui honorationi illi proximam patriæ honorationem cõſtituere, potius quàm magiſtratuum: quòd hæc nomen ex patris & matris appellatione quodammodo mixtum habeat. Nam quod de Græca voce πατρὶς, idem & de Latina Patria, dici poteſt. Hæc enim vox à patris appellatione deducta eſt, ſed fœmininam ſaltem terminationẽ retinendo, in qua ad vocem illam Mater, quæ fœminina eſt, reſpicitur. Quæ tamen ratio neſcio an tam firma iudicanda ſit, vt ex ea inferre poſſit aliquis, patriæ tantum honoris deferendum eſſe quantum dua-

bus illis perſonis ſimul:patri,inquam, & matri. Pro quo faceret alioqui hoc Platonis dictum, τὴν πατρίδα θεραπεύειν δεῖ μειζόνως ἢ μητέρα παῖδας. Id eſt, Patria magis colenda eſt quàm mater à liberis. *Hinc fit vt priore loco mentionem patriæ faciat cum alibi, tum vbi ſcribit nos non nobis ſolùm eſſe natos, ſed ortus noſtri partem ſibi patriam vendicare, partẽ parẽtes, partem amicos : vt Cicero interpretatur,lib.* I. *De off.ſeruato eodem ordine, quem etiam ſeruat,in alio eiuſdẽ libri loco,hæc ſcribens,*Si contẽtio quædam fiat & comparatio, quibus plurimum tribuendum ſit officii,principes ſint patria & parentes,quorum beneficiis maximis obligati ſumus. *Video tamẽ, iuriſcõſultos parentes prius quàm patriam nominare. Atque adeo quidam ex veteribus parentes, eſſe nobis ſecundos & velut terrenos quoſdam deos dixerunt.*

Sed ne hoc quidem à ratione alienum eſt, magiſtratuum honorationem, ſenum honorationi proximam eſſe: quum olim vix magiſtratus ex aliis quàm è ſenibus eligerentur. Atque adeo hinc eſt γερουσία apud Græcos, & apud Latinos Senatus, ad illius Græcæ vocis imitationem facta. Hoc & à Naſone notatur,qui poſtquam dixit,

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
  Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat:

duobus verſibus interiectis de iuuenibus,addit,

Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros,
  Nomen & ætatis mite ſenatus habet.

Huc pertinet & Romana Patrum appellatio,& Patrum cõſcriptorum,quæ dabatur ſenatoribus. Alioqui patris nomine tam Græci quàm Latini bonũ etiã regẽ ſeu alium principem ornabant,aut eum ſaltem quem

ſignifi-

ſignificare bonum principem volebãt. Ἀγαθὸς ἄρχων, *inquit Xenophon,* ὐδὲν ἀγαθῦ πατρὸς διαφέρει. *Sic Hom. Odyſſ. ε, in principio,*

Ἀλλ᾽ ὔτις μέμνηται Ὀδυσσῆος θείοιο
Λαῶν οἷσιν ἄνασσε, πατὴρ δ᾽ ὡς ἤπιος ἦεν.

Sic imperatorem ſuum Romani patrem vocabant, & frequentius patrem patriæ. Verùm, ad magiſtratus vt redeam, poſſit eorum honoratio ad hoc etiã referri vt operam illis noſtram præſtemus aduerſus maleficos. Qua de re lege Plat. De leg. lib. 5. pag. 730, meæ editionis.

Legum porrò honorationem ſub magiſtratuum honoratione putaui comprehendi: quum leges in perſona magiſtratuũ honoremus: quoniam vt populo magiſtratus, ita illis leges præſunt: vt à Cicerone ſcribitur, De leg. lib. 3. Atque adeò legum miniſtros vocare illos poſſumus, ex Platone: qui quidem ſalutem & omnia proſpera illi demum vrbi pollicetur in qua leges, magiſtratuũ dominæ, magiſtratus autẽ ſerui ſunt legũ. Sed νόμον *ibi dicit, id eſt Legẽ, ſingulari vtẽs pro plurali. ſicut & quum à Cicerone magiſtratus dicitur eſſe lex loquens, lex autẽ, mutus magiſtratus. Quæ etiam ſententia pro me facit. Fateor alioqui, ſeorſum etiam mentionem* νόμων *fieri, cum ab aliis, tum à Zaleuco: vbi ſcribit,* ὡς μετὰ θεοὺς, καὶ δαίμονας καὶ ἥρωας, γονεῖς τε καὶ νόμοι καὶ ἄρχοντες σιωέγγυς εἰσὶ ταῖς τιμαῖς παρ᾽ ἀνθρώποις νουῦ ἔχουσι καὶ σωθησομένοις. *At Plato De leg. lib. 6, ſeruire legibus iubens, non addit, etiam magiſtratibus. Et tamen (nequid diſſimulem) in quodã libri tertij loco, non procul à fine, loquens de ijs qui Titanum audaciã imitari velle videntur, quũ dixiſſet,* μὴ ἐθέλειν τοῖς ἄρχουσι δουλεύειν, *paucis in-*

teriectis addit, νόμων ζητεῖν μὴ ὑπηκόοις εἶ). *Qui locus eſt ad quem reſpexit Cicero, De legibus lib. tertio, hæc ſcribens,* Noſter verò Plato Titanum è genere ſtatuit eos qui vt illi cæleſtibus, ſic hi aduerſentur magiſtratibus.

Illa deniq; parentum honoratio ad dominos etiã, ad præceptores, necnon ad tutores extendi poteſt.

¶ *Ad ſecũdum ſecundæ tabulæ præceptum quãdam Ægyptiorum habemus legem, quæ vel ſola quã eorum legibus tribui puritatis laudem, multum augere poteſt. De ea loquor quæ eſt pag. 34. in titulo extẽſionis ad punitionem eorum qui homicidium non prohibuerunt, quum poſſent. facit enim hæc lex vt dicere poſſimus, quamuis antiqui legiſlatores ſumma cura pariter ac ſeueritate homicidia vindicarint, & nominatim quidem Areopagitæ, ab Ægyptiis tamen ea in re ſuperatos fuiſſe.*

Ab iiſdem profecta eſt lex de non necanda muliere, dum eſt grauida. Quæ mihi lex in memoriam reuocat aliam (cuius etiam non feci mentionem) de non adimendo lucem nondum eam conſpicatis. quod partum abigere vocatur. Vlp. L. 8. D. Ad legem Corn. de ſicariis & venef. Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe, quo partum abigeret, conſtiterit, eam in exilium præſes prouinciæ exiget. *Aduerſus quandam quæ hoc ſcelus perpetrarat, valde ſtomachantem & Naſonem audimus. Lactantius tamen (quod miror) ad hoc vſque homicidij genus non peruenit. nec etiam aduerſus necantes nondum natos, ſed tantùm aduerſus necantes recens natos, declamat.* Ergo ne illud quidem *(inquit)* concedi aliquis exiſtimet, vt recenter natos liceat oblidere. quæ

vel

vel maxima eſt impietas. ad vitam enim Deus inſpirat animas, non ad mortem. Verùm homines (ne quod ſit facinus quo manus ſuas non polluant) rudibus adhuc & ſimplicibus animis abnegant lucem non à ſe datam. *Paucis interiectis declamat & aduerſum eos qui exponunt.* Quid illi quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocētes exiſtimari qui viſcera ſua in prædam canibus obiiciunt, & quantũ in ipſis eſt, crudelius necant quàm ſi ſtrangulaſſent. *Et tamen ethnici non æquè hoc ac duo illa quæ proximè præcedunt damnabant: imò verò plerique ex illis ne damnabant quidem vllo modo. Ac fuiſſe apud ethnicos iam à priſco ſeculo receptum hunc morem, ex varijs hiſtorijs & ex nonnullis comicorum locis diſcimus.*

Sicut apud Moſem is quoque vocatur homicida qui mortis cauſam præbet, (legimus enim, Leuit. cap. 19, Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui. *quæ ita accipiuntur acſi diceret, Non eris in cauſa cur occidatur proximus tuus) ſic & apud iuriſconſultos videmus lege Cornelia teneri & qui necandi voluntatem tantum habuerint. Quæ res tractatur latius in meis Schediaſmatis.*

Quemadmodum à Moſe fit ſæpe mentio eius qui propinquus eſt ſanguinis, quũ de vindicãda cæde agitur, etiam cæde inuoluntaria: ſic à Platone, eius qui eſt ἐγγύτατα τοῦ γένους*: in quo tamen ſignificando alijs etiam verbis vtitur. Verùm & apud Demoſthenem legimus, orat. in Ariſtocratem,* Τί οὖν ὁ νόμος κελεύει; τὸν ἁλόντα ἐπ᾽ ἀκουσίῳ φόνῳ, ἔν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις ἀπελθεῖν ταυτὴν ὁδὸν, καὶ φεύγειν, ἕως ἂν

αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος. τηνικαῦτα δ' ἥκειν δέδωκεν, ἔστιν ὃν τρόπον, οὐχ ὃν ἂν τύχῃ. ἀλλὰ καὶ θῦσαι καὶ καθαρθῆναι, καὶ ἄλλ' ἄττα δὴ εἴρηκεν ἃ χρὴ ποιῆσαι. *Id eſt(Hier. VVolphio interprete)* Quid igitur lex iubet? fortuitæ cædis damnatum, ad certum tempus certo quopiam interuallo abeſſe & exulare: dum aliquem è perempti familia exorarit. Tum verò redire conceſsit, certo quodam ritu, non fortuitò aut temere. ſed & rem diuinam facere & expiari, & alia quædam ordine & diligenter ſancita, præſtare lex iuſsit.

Illam autem legem quam Platoni peculiarem & ſumma laude dignã eſſe dixi, aduerſus eum qui mortem ſibi conſciſcit, habemus (ſed minus generalem quàm quæ à me poſt Ciceronem ex eo allata fuit) libro De leg. nono.

¶*Hæc aduerſus adulterium & omnem illicitam libidinem addenda ex Charonda legibus fuerunt,* Γυναῖκα δὲ τὴν κατὰ νόμους ἕκαστος στεργέτω, καὶ ἐκ ταύτης τεκνοποιείσθω, εἰς ἄλλο δὲ μηδὲν προϊέσθω τέκνων τῶν αὐτοῦ σποράν· μηδὲ τὸ φύσει καὶ νόμῳ τίμιον, ἀνόμως ἀναλισκέτω, καὶ ὑβριζέτω. ἡ γὰρ φύσις τεκνοποιίας ἕνεκεν, οὐκ ἀκολασίας, ἐποίησε τὴν σποράν. *Cæterùm ſub lege adulterium prohibente(de qua nunc agitur) aliquis fortaſſe extẽſionem & aduerſus polygamiam, aliámque aduerſus diuortium, habere locum exiſtimaſſet: quas tamen extenſiones, quum mihi in mentem venirent, conſultò prætermiſi.*

¶*Legis etiam furtum uetantis extẽſiones aliquot addi poſſe quiſpiam exiſtimet: cui ego de nonnullis non refragabor, de quibus ille forſitan haud cogitaſſet. Primum autem locum accipiet extenſio à furto depoſi-*

depoſiti pecuniarum ad furtum depoſita alicuius auribus rei ſecretæ. Quæ tamen extenſio quum timerem ne longiùs petita videretur, cæteris à me adiecta non fuit: ſed poſtea & Græci et Latini poetæ ſum recordatus, quorum autoritate tueri me poſſem. Ita enim Anaxandrides,

Ὅστις λόγους γὰρ παρακαταθήκην ὡς λαβὼν,
Ἐξεῖπεν, ἄδικός ἐστιν, ἢ ἀκρατὴς ἄγαν.
Ὁ μὲν διὰ κέρδος, ἄδικος· ὁ δὲ τούτου δίχα,
Ἀκρατής. ἴσως δέ γ' εἰσὶν ἀμφότεροι κακοί.

Ita etiam Horatius cõmiſſa fidei dixit, de ſecreto alicuius auribus cõmiſſo, tanquam de depoſito loquẽs,

--Quid faciam ſi furtum fecerit? aut ſi
Prodiderit commiſſa fide, ſponſúmve negarit?

Nam fide *hîc pro* fidei *dictum eſt.*

Non immeritò autem extendi & aduerſus eos qui famam alterius lædunt, ſiue calumniando clam, ſiue apertè accuſando, ſed falsò: quoniam ſuam illi famam quantum in ſe eſt detrahunt. adeò vt etiam Detrahere hoc ipſum vocetur. Sed calumniam alia item ratione poſſumus ad hanc extenſionem referre: quòd videlicet amicitiam furetur. Hippias quidem certè apud Plutarchum mihi aſſentitur, qui miratur nullum aduerſus calumniã eſſe ſtatutum ſupplicium, ſicut aduerſus fures: quum tamen amicitia, quæ poſſeſſionũ eſt omniũ præſtantiſſima, furetur. Atque adeò iniuriam, licet malefica ſit, iuſtiorem eſſe calumnia dicit: quòd illa non itidem ſit clandeſtina. Vbi Iuſtiorem pro Minus iniuſtam, dicit.

¶ Ne loquaris aduerſus prox. &c. *Quũ apud Ægyptios periuri capite plecterentur, & falſi accuſatores eam ſubirent pœnã, quæ à ſe accuſatis, ſi con-*

uicti fuiſſent, ſubeunda erat, nulli dubium eſſe poteſt quin eos quoque qui falſum teſtimonium dixiſſent, ſeuerè punirent. Eſt autem obſeruandum, quam illi aduerſus falſum accuſatorem pœnā ſtatuerant, Moſem aduerſus falſum teſtem ſanxiſſe.

Cæterùm lege Cornelia non ij ſolùm puniebantur qui falſum teſtimonium dixiſſent, & qui ob falſum teſtimonium dicendū pecuniā accepiſſent, verūetiam qui pecuniā illā dediſſent: item à quibus opera data eſſet vt quis falſum indicium profiteretur. Ita enim lego, falſum indiciū, non falſum iudicium. Vide pag. 33, huius libelli: & pag. 31, alterius.

¶Ne concupiſcito domum proximi *&c. Ceſſare hîc dixi omnes illas præclaras leges è quorum variis capitibus, varia protuleram, quæ ſunt velut riui ex illis diuinis fontibus fluentes. Sperare tamen me, fore vt aliquem ex hoc iisdem fonte manantem riuulum inuenirem: quod ſi cōtingeret, me tibi minime celaturū promiſeram. Nunc igitur ſpe non fruſtratus, fidem apud te meam liberabo. Sed mihi fas ſit, vbi tacent legiſlatores, eorum præceptores, tam philoſophos quàm poetas, teſtes aduocare. Incipiam autem à poeta Menādro, apud quem adhortās quidam alium ad ſeruandam ſtrictam iuſtitiæ regulam, dicit,*

--μηδὲ βελόνης
Ὦ φίλτατ' ἐπιθύμησον ἀλλοτρίας ποτέ.]

Id eſt,

--vel fibulam
Alienam amice parce concupiſcere.

Sed & apud Philemonem prohiberi concupiſcentiam videmus, primùm quidem alienæ vxoris, vel domus, vel alienorum bonorum, vel alieni pueri, aut puellæ: deinde verò & ipſum ad βελόνην vſque deſcende-

re. quod vocabulum propriè acum ſignificare, vt περόνην, *fibulā, neſcius nō fui: ſed nec, quid ſibi in huiuſmodi locis permittere interpretes poſſint, ignoraui.*

Ex ethnicis quoque philoſophis nonnullos ad refrenandam concupiſcētiam hortatos eſſe nos comperio, cum alia proponentes, tum verò hoc, iuſtitiæ ſummam eſſe, res alienas non concupiſcere. δικαιοσύνης ὅρον εἶναι, τὸ μὴ ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν. *Atque adeo Ariſtidem, (quem iuſtum, nimium certe fragilitatis humanæ immemores, vocabant) interrogatum quid eſſet iuſtitia, reſpondiſſe ferunt, Aliena nō appetere. Quidam tamen philoſophus nomine Hierax, Aliena nō cōcupiſcere, dicere noluit eſſe* δικαιοσύνης ὅρον, *ſed tantum* εὐτύχημα περὶ ἕν τι τῶν παθῶν. *Intelligens, vt opinor, id* πάθος *quod vocant* τὸ ἐπιθυμητικόν. *Sic enim & Ariſtoteles* ἀκολασίαν *eſſe dicit* κακίαν τοῦ ἐπιθυμητικοῦ. *Quod & ipſum ad hunc ſermonem pertinet, (præſertimque ad hæc illius præcepti verba, Ne concupiſcito vxorem proximi tui) includitque quodammodo hæc quæ à Lactantio pulchrè dicuntur: mentem eſſe quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur. in hac crimen eſſe, in hac omne delictum. Nam etſi corpus nulla ſit labe maculatum, non conſtat tamen pudicitiæ ratio, ſi animus inceſtus eſt: nec illibata caſtitas videri poteſt vbi cōſcientiā cupiditas inquinauit. Quantum autem ad eam concupiſcentiam attinet quæ mouet atque impellit ad furtum, legimus apud A.Gellium,* Sed meminiſſe debemus, ſecundũ ea quæ ſuprà ſcripſi, furtum ſine vlla quoque attrectatione fieri poſſe, ſola mente atque animo vt furtum fiat annitente. *Quæ videtur ex quo-*

rundam iuriſconſultorum verbis colligere: quum tamen his illorum vulgus repugnet, furtum ſine contrectatione atque ſolo animo committi negantium, L.3.§.18.D.De acquir.vel amitt.poſſ.

Cætera vel ad hunc iſtius libelli locum vel ad alios pertinentia ſuppeditabunt tibi mea Schediaſmata. Vale.

Animaduertenda quædam.

Pag.4.ver.Pla.] *Verborum ordo eſt ita mutãdus,* quum ſæpe Plato ipſe &c. P.8.v.cum pa.] *Scribendum videtur* caſtigatum. P.14.v.L.5.] *& alend.lib.* P. 32.v.dult.] *Scribe* homicidio. P.33.v. præeſſet] *Scribendum puto* indiciũ. *quãuis* iudicium *legatur & in nouiſſ. editione.* Ibidem v.cum] *Scribe* mala medic. P.48.v.Ac tan.] *Scribendum,* vllam. Ibid. v.Sic vid. *Ioabi exemplum aptius fuiſſet.*

IVRIS CIVILIS
FONTES ET RIVI.

DEVTER. VI & X,

DOMINVM Deum tuum timebis, & illi ſeruies: illi adhærebis, iurabíſque in nomine illius.

EX ZALEVCI LEGVM PROOEMIO,

Τους κατοικοῦντας τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρὴ καὶ νομίζειν θεοὺς εἶναι, ἀναβλέποντας ἐς οὐρανὸν καὶ τὸν κόσμον, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν καὶ ταξιν. οὐ γὰρ τύχης οὐδ᾽ ἀνθρώπων εἶναι δημιουργήματα. σέβεσθαι δὲ τούτους καὶ τιμᾶν, ὡς αἰτίους ὄντας ἁπάντων ἡμῖν ἀγαθῶν.

ID EST,

Omnibus vrbis regioniſque incolis ante omnia perſuaſum eſſe oportet, Deos eſſe, oculos in cælum mundúmque, & omnem quæ in illis eſt gubernationem atq; ordinationem, attollentibus. Non enim fortunam neque homines eſſe harum rerum opifices. Colere autem Deos & honore proſequi, vt omnium nobis bonorum autores.

EX LEGIBVS TAB. XII,

Ad diuos adeunto caſtè: pietatem adhibento, opes amouento. Qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.

CICERONIS EXPOSITIO,

Caſtè iubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo ſunt omnia. Nec tollit caſtimoniam corporis: ſed hoc oportet intelligi, quum multum animus corpori præſtet, obſeruetúrque vt caſto corpore adeatur, multo eſſe in animis id ſeruandũ magis. Nam illud vel aſperſione aquæ vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vaneſcere, nec manibus vllis elui poteſt.

Quod autem pietatem adhiberi, opes amoueri iubet: ſignificat, probitatem gratam eſſe Deo, ſumptum eſſe remouendum. Quid eſt enim, quum paupertatem diuitiis, etiam inter homines eſſe æqualẽ velimus, cur eam ſumptu ad ſacra adhibito, Deorum aditu arceamus? præſertim quum ipſi Deo nihil minus gratum futurum ſit, quàm non omnibus patere ad ſe placandum & colendum viam.

Quod autem non iudex, ſed Deus ipſe, vindex conſtituitur, præſentis pœnæ metu religio confirmari videtur.

Legiſlatores, aliíque profani ſcriptores, cultum diuinum præcipièntes, modò Deorum modò Dei mentionem fecerunt. Nam apud Græcos, ſicut τοὺς θεοὺς, ita etiam τὸ θεῖον (aliquando & τὸν θεὸν) σέβειν, ſeu τιμᾷν, aut θεραπεύειν legimus: apud Latinos, interdum Deos, aut numina, nonnunquam Deum, vel numen, colere, ſeu venerari: interdum & honorare, ſeu honore proſequi. Reſpondet autem magis Latino colere, θεραπεύειν: verbo Honorare, τιμᾷν: tertij verbi, Venerari,

rari, vim habere exiſtimatur σέβεσθαι: quod Plato erga Deos ſtatuens, ibidem τὸ αἰδεῖσθαι, erga homines ſtatuit: De legibus lib. xj, οὔτε ἀνθρώπους αἰδούμενος, οὔτε θεοὺς σεβόμενος. At verò quæ apud Græcos Teſtamenti veteris interpretes leguntur, προσκυνεῖν τὸν Θεὸν, & λατρεύειν τῷ Θεῷ, ſunt potius Eccleſiaſtica: ſicut & δουλεύειν. Illa duo priora extant Matth. cap. 4. Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Id eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Tertium habemus aliquoties apud Paulum Apoſtolũ. vt epiſt. 1. ad Theſſal. cap. 1, δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ. Et ad Gal. cap. 4. Ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες Θεὸν, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. Horum tamẽ omnium verborum vnum duntaxat habemus in illo Deuteronomij loco qui huc allatus eſt. Vtrobique enim verbo φοβηθήσῃ additum eſt λατρεύσεις. legitur enim, Κύριον τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Quum paulo antè dictum fuiſſet, Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου. id eſt, Amabis.

Quod autem illa xij. Tab. lex vocat Pietatem, Cicero Pium cultum appellare videtur, De nat. d. lib. 1, quum dicit religionem cultu pio Deorum contineri. Ac videtur huic pio cultui ſignificatio quædã ineſſe reuerentiæ cum amore coniunctæ. Eſſe quidem certè in cultu poſitam pietatem, vel ex ipſo Cicerone liquet. Nam De nat. d. libro 1, poſtquã dixit, loquens de diis, *At eſt eorum eximia quædam præſtánſque natura, vt ea debeat ipſa per ſe, ad ſe colendam elicere ſapientem:* paucis verbis interiectis, ſubiungit, *Quæ porro pietas ei debetur, à quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum ſit, ei deberi poteſt?* Quibus addit, *Eſt enim pietas, iuſtitia aduerſum Deos.* Ibidẽ, *Sanctitas autem, eſt ſcientia colendorum Deorum.* Has igitur duas voces alicubi iungit, tertiam quoque addẽs, Religionem: eodem nimirum libro, *Pietas, ſanctitas, religio, purè & caſtè Deo tribuendæ ſunt.* Atque vt hîc pietatem cum ſanctitate copulat, ſic alibi piè & ſanctè: eodem libro, *Et piè ſanctéque colimus naturam excellentem.* Alibi, Deos auguſtè ſanctéq; venerari dixit.

Græci pro pietate erga Deum, εὐσέβειαν dicunt: pro pietate, inquam, erga Deum, vel erga Deos. Ethnicos enim vtriuſque linguæ ſcriptores modò vnius modò plurium mentionem facere dixi. Quum tamen Latini non ſolùm dicant Numen, ſed etiã Numina, Græci τὸ θεῖον quidẽ (quod illius vocis Numẽ vim habere exiſtimatur) dicũt: at τὰ θεῖα, nõ item.

Porrò illi Zaleuci legiſlatoris proœmio adſtipulantur cum alij Ciceronis loci, tum hic in quo illa numinis appellatione vtitur, & quidem cum honorificentiſsima adiectione, De natura Deorum, lib.2. non procul à principio, *Quid enim eſſe poteſt tam apertum, támque perſpicuum, quum cælum ſuſpeximus cæleſtiáque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?* Et tamen poſtea de eadem re loquens, non iam numinis, aut Dei, ſed Deorum mentionem facit. *An verò* (inquit) *ſi domum magnam pulchrámque videris, non poſſis adduci vt, etiamſi dominum non videas, muribus illam & muſtelis ædificatam putes? tantum verò ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinémque rerum cæleſtium, tantam vim & magnitudinem maris atque terrarum, ſi tuum ac non Deorum immortalium domicilium putes, nonne planè deſipere videare?* Et tamen ille ipſe in iis quæ ſententiam hanc proximè præcedunt verbis, ita ſuam concluſerat argumentationem, vt diceret, *Eſt igitur profectò Deus*: non autem, Sunt igitur profectò Dij. Sic etiam Plato ipſe, quum ſæpe τὸ θεῖον dicat (perinde ac ſi Latinè dicas Numen) quum τὸν θεὸν & ποιητὴν & πατέρα τοῦ παντὸς agnoſcat, vocãs etiam ſæpe τὸν δημιουργὸν: tamen τῶν θεῶν etiam mentionem plerunque facientem audimus.

Eodem fluctuantes modo cæteros omnes ethnicos ſcriptores nos Chriſtiani tanquam ab alta quadam ſpecula conſpicamur. Qui tamen alicubi veritatis ipſius vi adacti turbã illam Deorum, vni, quaſi ſummo & in illos omnes poteſtatem habenti, atque adeo quaſi illorum genitori ſubiecerunt. Vnde illa,

-- πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

item,

-- ἄναξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sed & πατὴρ ſimpliciter, id eſt ſine vlla adiectione, vocatus fuit. Quinetiam ἄναξ, non ſequentibus illis genitiuis, ſed tantùm præcedente Διὸς nomine. Eodémque Latini poetæ modo patrem ac regem appellarunt. Legimus enim apud eos, *-- hominum pater atque Deorum.*

item,

O pater, ô hominum diuûmque æterna poteſtas.

necnon,

-- diuûm pater, atque hominum rex.

Multo

Multo autem antè Ennius illum, *patrem diuûmque hominúmque* appellauerat, vel Cicerone teſte: qui poſtquam dixit, lib. 1. De nat. Deorum, *Quid enim eſſe poteſt tam apertum, támque perſpicuum, quum cælum ſuſpeximus, cæleſtiáque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?* addit, *Quod ni ita eſſet, quî potuiſſet aſſenſu omnium dicere Ennius,*

Aſpice hoc ſublime candens quem inuocant omnes Iouem? Illum verò, & Iouem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, &, vt idem Ennius,

— patrem diuûmque hominúmque,

& præſentem ac præpotentem Deum. Quod qui dubitat, haud ſanè intelligo cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit. Apud eundem, eodem illius operis libro hæc leguntur, *Sed ipſe Iupiter, id eſt, iuuans pater, quem conuerſis caſibus appellamus à iuuando Iouem, à poetis Pater diuûmque hominúmque dicitur: à maioribus autẽ noſtris Optimus, Maximus: & quidem antè Optimus (id eſt, beneficentiſſimus) quàm Maximus. quia maius eſt certéque gratius prodeſſe omnibus, quàm opes omnes habere.* Ad hæc autem quæ ex Cicerone aliiſque attuli epitheta (niſi potius titulos appellare par eſt) cum alia poſſunt addi, tum verò iſtud, *Pater omnipotẽs.* Quinetiam, non ſolùm patrem Deûm atque hominum, ſed & patrem Deûm, ſine altera adiectione, interdum verò & Patrem ἁπλῶς vocatum fuiſſe ſciendum eſt.

Monarchiam cæleſtem multo etiam locupletioribus quorundam Græcorum teſtimoniis probatam inueniemus, ſi ea conquirere libeat: atque adeo multo purioribus. Habemus enim ex Sophocle,

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας.

Ex Pythagora item afferuntur hi & admiratione & laude omni maiores verſus,

Εἴτις ἐρεῖ, θεός εἰμι, παρὲξ ἑνὸς, οὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς οὗτος.

Enimuero, etiamſi vnius tantùm Dei mentionem vbique facerent, eum quicquam cum Deo quem nos Chriſtiani adoramus, commune habere putandum minimè eſſet: nihilo certè magis quàm pictus vel ſculptus homo quicquam cum

homine vero commune habere dici poteſt. Sicut enim externis coloribus adumbratum quidpiam, res eſt merè inanis, ſic etiam falſum quiduis in mente hominis conceptum, vaniſsimum eſt ſimulacrum, ſeu phantaſma, non res vlla in rerum natura exiſtens. Adeo vt meritò maiores noſtros Paulus Apoſtolus, quanuis infinitos penè Deos colerent, atque hac ratione dici poſſent πολύθεοι, tamen contrà ἀθέους vocare non dubitarit: vtpote quorum dij, (vt ab illis vocabantur) nequaquam dij eſſent, ſed mera hominum commenta. Legimus certè apud Dauidem, Deos gentium, eſſe dæmonia: ſed & apud ipſum Paulú, 1. ad Corint. cap. 10, *Quæ ſacrificant gentes, dæmoniis, non Deo, ſacrificant.*

Quæ quum ita ſint, ad alios locos ſcriptorum vtriuſque linguæ (eorum qui inter profanos numerantur, ſicut & numerari debent) remittere lectorem contenti erimus: quorum probari teſtimonio poterit id ſaltem quod à Paulo Apoſtolo dicitur, de illa deitatis cognitione, ad quam quum peruenire potuerint, inexcuſabiles redduntur. Atque hoc quum tam verè dictum ſit quàm quod veriſsimè, multo magis damnandi ſunt qui omnem deitatis ſenſum depoſuerút, aut certè ita viuunt quaſi depoſuerint. Quod ἀθεότητος crimen ac ſcelus plerique etiam populi poſitis publicis legibus vindicarunt. Celebres autem inter ἀθέους fuerunt illi duo, quorum à Cicerone locis aliquot ſit mentio, Diagoras & Theodorus. Sed Diagoræ præſertim ἀθεότης diuulgata fuit: adeo vt etiam cognomento Atheos diceretur.

Non mirum autem ipſos etiam ethnicos, homines eiuſmodi, tanquam monſtroſa quadam natura præditos, execratos eſſe: quum teſtetur Cicero nullam gentem eſſe tam immanſuetam & feram quæ non, etiamſi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat.

EXODI

EXODI XX,

NOn aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.

DEVTER. V,

Non vſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtra. quia non erit impunitus qui ſuper re vana nomen eius aſſumpſerit.

Leuitici autem cap. XIX, Periurare in nomine Domini, vocatur Polluere nomen Domini.

Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.

ÆGYPTIORVM LEX,

Periuri pœna capitis plectuntor.

Diod. Siculus Bibl. hiſt. lib. 1, ſcribit, apud Ægyptios capitale fuiſſe peierare: quòd periuri duo maxima committant ſcelera: quum & pietatē in Deos violent, & id quod inter homines potiſsimum ad fidem faciendā robur habet, euertant.

EX LEG. TAB. XII,

Periurij pœna diuina, exitium: humana, dedecus.

IMP. ALEXANDER,

Cod. De rebus cred. & iureiurando, l. 2.

Iuriſiurandi contempta religio ſatis Deum vltorem habet.

VLPIANVS,

L. Si duo.§.vlt.ff.De iureiurando,

Si quis iurauerit in re pecuniaria per genium principis,dare ſe non oportere,& peierauerit:vel dari ſibi oportere, vel intra certum tempus iurauerit ſe ſoluturum, nec ſoluit : Imperator noſter cum patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere:& ita ei ſuperdici, Προπετῶς μὴ ὄμνυε.

Si eos qui per genium principis iurantes peierarent,fuſtibus caſtigandos cenſuerunt, quanto magis qui per eos quos colebant Deos falſum iurarent? Abrogatur tamen hæc lex, Cod.De reb.cred.& iur.l.2. Nam ibi illa Alexandri imperatoris verba, *Iuriſiurandi contempta religio ſatis Deum vltorem habet*, proximè ſequuntur iſta, *Periculum autem corporis, vel maieſtatis crimen, ſecundum conſtituta diuorum parentum meorum , etſi per principis venerationem quodam calore fuerit peieratum , inferri non placet.*

MODESTINVS,

L.fin.ff.De crim.ſtell.

De periurio , ſi ſua pignora eſſe quis in inſtrumento iurauit, crimen ſtellionatus fit : & ideo ad tempus exulat.

IVSTINIANVS,

L.2.§.vlt.Cod.de indicta viduitate,

Augeri etenim magis noſtram remp.& multis hominibus legitimè progenitis frequẽtari quàm impiis periuriis affici volumus. quum ſatis eſſe inhumanum videatur, per leges quæ periuria puniunt,viam periuriis aperiri.

VLPIANVS,

L.Quòd ſi deferente.ff.De dolo.

Quòd ſi, deferente me, iuraueris,& abſolutus ſis, poſtea periurium fuerit approbatum : Labeo ait,

ait, de dolo actionem in eum dandam. Pomponius autem, per iuſiurandum tranſactum videri. Quam ſententiam & Marcellus libro octauo Digeſtorum probat. Stari enim religioni debet.

His autem proximè ſubiunguntur iſta,

PAVLVS,

Nam ſufficit periurij pœna.

CAIVS,

L. 2. ff. De iureiurando.

Maximum remedium expediendarum litium in vſum venit, iuriſiurandi religio: qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex autoritate iudicis deciduntur controuerſiæ.

Quibus hæc proximè ſubiiciuntur,

PAVLVS,

Iuſiurandum ſpeciem tranſactionis continet: maiorémq; habet autoritatē quàm res iudicata.

Cum his Caij & Pauli iuriſconſulti verbis optimè conueniunt iſta Pauli apoſtoli, aut eius quicunque eſt autor epiſtolæ ad Hebr. cap. 6, Πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος. Conuenit & quod ſcribit Diodorus, Ægyptios cenſuiſſe iuſiurandum eſſe τὴν μεγίστην τὴν παρ' ἀνθρώποις πίστιν. Idem inter Bocchoridis leges quæ ad commercia pertinent, hanc refert: vt ſiqui pecuniam fœnore accepiſſent, non data ſyngrapha, ac poſtea ſe accepiſſe negarent, ſtaretur eorum iuriiurando. Cuius legis duas rationes affert. Vnam, vt magnifacerent iuſiurandum, (quum enim manifeſtum eſſet, fore vt ei qui ſæpe iuraſſet, fidem amittere contingeret: vnumquenque daturum operam vt ad iuſiurandum non deſcenderet.) Alteram, quòd exiſtimaret legiſlator futurū vt quum probitas aliquorum faceret vt fides illis haberetur, omnes ad eam impulſurum, ne male audirent, ſi derogaretur. Præterea (inquit) iniquum eſſe cenſebat vt quibus abſque iureiurando fides habita eſſet, iis de negotio eodem iurantibus derogaretur.

CICERO,
De officijs libro tertio,

Nullum enim vinculum ad aſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis, indicant ſacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte deuincitur fides; indicant notationes animaduerſionéſque cenſorum, qui nulla de re diligentius quàm de iureiurando iudicabant.

Aliquanto pòſt, à cenſoribus ignominiis omnibus notatos ſcribit eos qui in caſtra reuertiſſent ea fraude, vt iureiurando liberarentur. Loquitur autem de ijs quos Annibal poſt Cannenſem pugnam ad ſenatum miſit, iuratos ſe in caſtra redituros ea quorum erant potiti Pœni, niſi de redimendis captiuis impetrauiſſent. Siquidem, teſtis Polybius, ex decem nobiliſsimis qui tunc erant miſsi, nouem reuertiſſe, à ſenatu re non impetrata: vnum ex decem, qui paulo pòſt quàm egreſſus erat è caſtris rediſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe: quòd reditu in caſtra liberatum ſe eſſe iureiurando interpretaretur. Sed non rectè (ſubiungit Cicero) quum fraus aſtringat non diſſoluat periurium. Contrà verò laudandum Regulum in conſeruando iureiurando eſſe dicit: de quo, & primo eiuſdem operis libro: eum à Pœnis captum, quum de captiuis commutandis Romam miſſus eſſet, iuraſſétque ſe rediturum: primùm, vt venit, captiuos reddendos in ſenatu non cenſuiſſe: deinde, quum retineretur à propinquis & ab amicis, ad ſupplicium redire maluiſſe quàm fidem hoſti datam fallere.

Iuſiurandum (inquit A. Gellius) apud Romanos inuiolatè ſanctéque habitum ſeruatúmque eſt. Id & moribus legibúſque multis oſtenditur: & hoc quod dicemus, ei rei non tenue argumentum eſſe poteſt. Quibus verbis illam Ciceronis modò narratam hiſtoriam adiicit. Horatius quoque ſummis laudibus hoc Reguli factum effert.

Demoſthenes Athenienſes in iudicio ſeruandi iuriſiurandi

adi pleriſque locis admonet. Ex quibus eſt hic, in orat. aduerſus Ariſtocratem, οὐδένα γὰρ νομίζω τοσαῦτ' ἀγαθ' ἂν ποιῆσαι, δι' ὑμῖν προσήκειν ἐπιορκῆσαι, καὶ παρ' ἃ φανερῶς δίκαιά ἐστι, τὴν ψῆφον ναι. Id eſt (Hieronymo VVolphio interprete) Non enim exiſtimo vllum cuiuſquam tantum eſſe poſſe beneficium, propter quem ſit iuriſiurandi violanda religio, & aliter quàm iuſtum videatur, pronuntiandum.

Plato lib. XII, De leg. vult, iudicem, nonniſi iuratum, ad iudicandum accedere: itidémque aliis quibuſdam magiſtratibus iuſiurandum permittit, ſed qui autoritatem habeant in ea demum quæ, ſecundum hominum opinionem, nullum peieranti emolumentum afferre poſſunt.

Ex poetis multa his adiici poſſunt, aduerſus periuros dicta: & quidem ex Græcis præſertim.

EXODI XX,

HOnora patrem tuum & matrẽ tuam: vt ſis lõgæuus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

DEVTER. V,

Honora patrem tuum & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: vt longo viuas tempore, & bene ſit tibi in terra quã Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.

LEVIT. XIX,

Vnuſquiſque matrem ſuam & patrem ſuum timeat.

EX LEGIBVS ZALEVCI CHARONDAE, ET ALIORVM.

Τὰ τέκνα τοὺς γονεῖς τιμάτωσαν.

ID EST,

Liberi parentes honoranto.

VLPIANVS,

L.9.ff.De obſeq.parent.& patronis præſt.

Filio ſemper honeſta & ſancta perſona patris videri debet.

EX EODEM,

L.1, eiuſdem tituli.

Filium patrem & matrem venerari oportet.

EX VLP. ET POMP.

L.1 & 2, ff. De iuſtitia & iure.

Ius gentium ſolis hominibus inter ſe commune eſt: veluti erga Deum religio, vt parentibus & patriæ pareamus.

VLPIANVS,

L.1, ff. De obſeq.parent.& patronis præſt.

Etiam militibus pietatis ratio in parentes conſtare debet.

Pietas hæc, de qua iuriſconſultus loquitur, à Cicerone in orat. Pro Cn. Plancio, definitur, Voluntas grata in parentes. Sed magis mihi placet altera eius definitio, qua dicitur eſſe iuſtitia erga parentes: ſicut pietatem erga deos, iuſtitiam aduerſum deos eſſe dicit, De nat.deor.lib.2. Quam tamen & alio alibi modo definit, quum eſſe ait honeſtam de numine eorum ac mente opinionem: in orat.Pro domo ſua, ad pontif. Hac aduerſus deos pietate ſublata, fidem etiam & ſocietatem humani generis, & vnam excellentiſsimam virtutem,

irtutem,iuſtitiam,tolli dicit: De nat.d.lib.1, Pietatem ve-
ò erga parentes, de quâ nunc à nobis agitur, ita laudat in
rat.Pro Cn.Plancio, vt fundamentum virtutum omnium
ſſe dicat. Quod nos Chriſtiani de altera pietate potius di-
eremus,ſi quidem hæc ab illa ſeparari poſſet.

Pietatis appellatione (eius quæ eſt erga parentes) com-
rehendi poteſt quod Græci dicunt τιμᾷν τοὺς γονεῖς, quod
atini Colere parentes,vel Obſeruare,aut etiam Venerari:
t loquentem Vlpianum paulo antè audiuimus. Honorare
utem parentes (quod magis illi τιμᾷν reſpondet) rarius
icunt.

In Pythagoricis legibus illud idem habemus verbũ, τιμᾷν,

Τούς τε γονεῖς τίμα, τούς τ' ἄγχιστ' ἐκγεγαῶτας.

Parentes iuſſerunt etiam ἐν τιμῇ ἔχειν, aut ἐν τιμαῖς, illud
ſum ſignificare volentes. Poſterius extat in illo pulcherri-
o ſenario,

Βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.

Iubent etiam nos parentibus τιμὴν νέμειν. quo idem quod
ræcedentibus ſignificatur. Euripides,

Οὐκ ἔστι παισὶ τοῦδε κάλλιον γέρας,
Ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι,
Καὶ τοῖς τεκοῦσιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.

Verumtamen, quemadmodum iuriſconſultus Venerari
arentes dixit (minus propriè ſed magis ſignificanter lo-
uens) ita etiam ille idem poeta Græcus, σέβειν τοὺς γονεῖς.
ius enim ſunt hi verſus,

Ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
Ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν, θεοῖς φίλος.

Orpheus tamen, poeta antiquiſsimus, non alio verbo
uàm τίειν eſt vſus, (quod poetis ſignificat etiam τιμᾷν) in
s longè præſtantiſsimis verſibus,

Ζεὺς δ' ἐφορᾷ γονέων ὁπόσοι τίουσι θέμιστας,
Ἠδ' ὅσοι οὐκ ἀλέγουσιν, ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντες.
Καὶ τοῖς μὲν πρόφρων τε καὶ ἤπιος ἐσθλὰ δίδωσι,
Τοῖς δὲ κακὰ φρονέων νεμεσίζεται ἀμφιδίκαστ.
Δειναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐριννύες εἰσὶ τοκήων.

Demoſthenes tamen nec τιμᾷν τοὺς γονεῖς (cui hoc τίειν
eſpondere dixi) nec ἐν τιμῇ ἔχειν, aut τοῖς γονεῦσι τιμὴν νέμειν
ixit: ſed nec σέβειν τοὺς γονεῖς, vel potius σέβεσθαι ab eo dictum

eſt,aut etiam θεραπεύειν (quod à diis, ſicut σέβεσθαι,tranſlatum eſſet) ſed στέργειν. Scribit enim in orat.aduerſus Ariſtogit. legem eſſe naturæ brutis animantibus cum hominibus communem, στέργειν τοὺς γονεῖς. Quo verbo,huic rei peculiari,ſummus amor ſignificatur. Quanuis autem is qui τιμᾷ τοὺς γονεῖς, ſi quidem ex animo id facit, eos etiam στέργει: non tamen viciſsim quicunque στέργει, is etiam τιμᾷ. Ideo Demoſthenes hoc στοργὴν animantia bruta cum homine commune habere dixit: quod propterea ad ius naturale referendum videri poſſit, ſicut τιμᾶν, ad ius gentium.

DE PRAESTANDIS ETIAM ALIMENTIS PARENTIBVS.

Vel ipſa hoc docere nos poteſt natura, Honorare parentes non poſſe dici qui non ſuppeditat illis ad vitam neceſſaria, pro ſuis facultatibus: ſed tamen & legibus cautũ hac de re fuit, & quidem de alimẽtis nominatim.

SOLON,

Ἐάν τις μὴ τρέφῃ τοὺς γονέας, ἄτιμος ἔστω.

Id eſt,

Si quis parentes non alat, infamia notetur.

VLPIANVS,

L.5, Si quis à liberis. D. De agnoſc. & aẽld. liberis.

Si quis à liberis ali deſideret, vel, ſi liberi, vt à parente, exhibeantur: iudex de ea re cognoſcet.

Aliquanto pòſt,

Si vel parens neget filium, idcircóque alere ſe non debere contendat, vel filius neget parentem: ſummatim iudices oportet ſuper ea re cognoſcere.

Paulo

Paulo poſt,

Si quis ex his alere detrectet, pro modo facul-
tum alimenta conſtituentur. Quòd ſi non præ-
ſtentur, pignoribus captis & diſtractis cogetur
ſententiæ ſatisfacere.

IMP. ANTONINVS,

L.1.Cod.De alend.liberis.

Parentum neceſsitatibus liberos ſuccurrere iuſtum eſt.

DIVI FRATRES,

L.2.Cod.d.tit.De al.lib.

Competens iudex à filio te ali iubebit, ſi in ea facultate eſt vt tibi alimenta præſtare poſsit.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L.5.Cod.De patria poteſtate.

Filia tua non ſolùm reuerẽtiam ſed etiam ſubſidium vitæ vt exhibeat tibi, rectoris prouinciæ autoritate compelletur.

Extat inter Græcos ſenarios qui gnomici vocantur, iſte,

Ἰκανῶς βιώσεις, γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Id eſt,

Alas parentes ſi ſenes, viues diu.

Sed huic verſui à quibuſdam iſte præfigitur,

Βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.

qui tamen non ſatis cum illo conuenire videtur. potius enim dicendum fuiſſet,

Βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.
Ἰκανῶς βιώσεις τοὺς γονεῖς τιμῶν ἀεί.

Potius igitur alij duo ſenarij gnomici, qui diſiungi ſolent, (quorum vnum modò protuli) coniungendi eſſent: ac in illis ita coniunctis reperiremus promiſsionem, ſicut & in

præcepto diuino: (ſed promiſsionem de vita beata, non de longa.) Sunt enim hi,

Θεοὺς σέβου, γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.
Ἔλπιζε, τιμῶν τοὺς γονεῖς, πρᾶξειν καλῶς.

Sic verò & in verſibus Euripidis antè allatis de venerandis parentibus, dicitur & viuus & mortuus diis charus eſſe qui id facit.

Cæterùm ita iudicatum ab omnibus fuit, liberorum eſſe officium, parentes in ſenectute alere, vt γηροβοσκεῖν de hac re peculiariter dictum fuerit. Hinc etiam liberi vocantur γηροβοσκοὶ, cum ab aliis, tum à Xenophonte.

Atque adeo ita priſci etiam ſeculi homines perſuaſum hoc habuerũt, nimirum præſtãda eſſe parentibus alimenta, vt etiam Homerus de eo loquens qui in iuuentute moritur, aut ſaltem ad plenam ætatem non peruenit, dicat, -- οὐδὲ τοκεῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε. vtens verbo ἀπέδωκε, tanquam exiſtimans alimenta parentibus, præſertim ſenibus, iure naturæ deberi.

Hac de re dicebant & ἀντιπελαργεῖν: quod verbum ex voce πελαργὸς, quæ ciconiam ſignificat, eſt factum: quòd peculiare eſſe dicatur huic aui vt parentes ſenes nutriat. Atque hinc πελαργικοὶ νόμοι. q. d. Ciconiariæ leges.

EXTENSIO AD CASTIGATIONEM LIBERORVM QVI SVNT parentibus immorigeri, aut etiam malè eos tractãt: multo magis eorum qui eò progrediũtur vt ſint πατραλοῖαι vel μητραλοῖαι.

DEVTER. XXI,

SI genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire con-

contempſerit: apprehendent eum,& educent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portã iudicij: Dicéntque ad eos,Filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuiis. Et lapidibus eũ obruet populus ciuitatis,& morietur.

EXODI XXI,

Qui maledixerit patri ſuo vel matri,morte moriatur.

LEVIT. XX,

Qui maledixerit patri ſuo,aut matri,morte moriatur. Patri matríque qui maledixerit,ſanguis eius ſit ſuper eum.

IMP. ALEXANDER,

L.Si filius tuus.Cod.De patria poteſtate.

Si filius tuus pietatem patri debitam non agnoſcit,caſtigare iure patriæ poteſtatis non prohiberis: acriore remedio vſurus, ſi in pari contumacia perſeuerauerit:eúmque præſidi prouinciç oblaturus , dicturo ſententiam quam tu quoque dici volueris.

VLPIANVS,

L.1.§.penult.De obſeq.parent.& patr.præſt.

Si filius matrem aut patrẽ,quos venerari oportet , contumeliis afficit , vel impias manus eis infert : præfectus vrbis delictum ad publicam pietatem pertinens pro modo eius vindicat.

IMPP. VALERIANVS ET GALLIENVS,

L. Congruentius. Cod. De patria pot.

Præſes prouinciæ reuerentiam debitam exhibere matri filios coget: &, ſi prouectam ad inclementiores iniurias improbitatem deprehenderit, læſam pietatem ſeuerius vindicabit.

VLPIANVS,

L. 1. §. 1. De obſeq. parent. & patro. præſt.

Etiam militibus pietatis ratio in parentes conſtare debet. Quare, ſi filius miles in patrem aliqua commiſit, pro modo delicti puniendus eſt.

L. ead. §. vlt.

Indignus militia iudicandus eſt qui patrem & matrem, à quibus ſe educatum dixerit, maleficos appellauerit.

Apud Athenienſes erat multiplex δίκη ſiue γραφὴ κακώσεως, id eſt malæ tractationis: ſed κάκωσις γονέων præ aliis malè audiebat. Vt autem hæc præ aliis malè audiebat, ita ſeuerè præ aliis puniebatur: vt colligere poſſumus ex Demoſthene, cum aliis in locis, tum oratione in Timocratem.

Sed πατραλοίαι vel μητραλοίαι vocari, multo peius erat quã dici κακῶσαι τοὺς γονεῖς: ſicut etiam grauius eſt ſcelus parẽtes pulſare, quàm malè tractare. Interdum verò parricidã quoque ac matricidam nominibus illis vocabant. Extat autem aduerſus πατραλοίας & μητραλοίας lex iſta apud Moſem,

EXODI XXI,

Qui percuſſerit patrẽ ſuum aut matrem ſuam, morte moriatur.

VLPIANVS,

in loco ſuprà indicato,

Si filius matrem aut patrem, quos venerari oportet, contumeliis afficit, vel impias manus eis infert,

fert, præfectus vrbis delictum ad publicam pie-
tem pertinens pro modo eius vindicat.

Vbi impias manus inferre, de his intelligi poteſt quos
græci πατραλοίας & μητραλοίας vocant: & quidem intelligi in
traque horum nominum ſignificatione.

Ægyptiorum legiſlator atrox mortis genus in parricidas
tatuit: qui non item eos qui filios occidiſſent morte ple-
tendos cenſuit, teſte Diodoro Siculo, lib. primo.

At verò Athenięſium legiſlator Solon, interrogatus qua-
re nullum ſupplicium cōſtituiſſet in eum qui parentem ne-
caſſet: reſpondit, ſe id neminem facturum putaſſe. Quine-
tiam Herodotus nondum ſuo tempore commiſſum hoc fuiſ-
ſe apud Perſas (vt quidē illi aiebant) ſcribit: ſed ſiqui paren-
tes ſuos interfeciſſe dicerentur, compertos fuiſſe ſuppoſiti-
tios & ſpurios.

Sed nec in legibus Tab. XII, parricidij fit mētio. nā lex illa
Numæ, *Siquis hominem liberum ſciens, dolo neci duit, parricida eſto*,
nomen parricidæ non propriè vſurpat, ſed eo vtitur per au-
xeſin, ad amplificandum & magis deteſtandum homicidij
ſcelus.

Cic. item pro Roſcio Amerino de parricidio loquens, di-
cit, Niſi extēt expreſſa ſceleris veſtigia, vbi, qua ratione, per
quos, quo tempore maleficium ſit admiſſum: atque hęc niſi
multa & manifeſta ſint, rem tam ſceleſtam, tam atrocem,
tam nefariam credi non poſſe. Et paucis interiectis dicit
portentum atque monſtrum eſſe certiſsimum, aliquem eſſe
humana ſpecie & figura, qui tantum immanitate beſtias vi-
cerit, vt, propter quos hāc ſuauiſsimam lucem aſpexerit, eos
indigniſsimè luce priuarit. Aliquot autem paginis antè di-
xerat, hoc maleficium ita rarò extitiſſe, vt ſiquando audi-
tum eſſet, portenti ac prodigij ſimile numeraretur.

Idem, poſtquam illud reſponſum Solonis retulit, qui ta-
men Athenarum (quæ prudentiſsima ciuitas, dum rerum po
tita eſt, fuiſſe traditur) ſapientiſsimus eſſet, ſubiungit, Quan
to maiores noſtri ſapientius, qui, quum intelligerent nihil eſ-
ſe tam ſanctum quod non aliquando violaret audacia, ſuppli
cium in parricidas ſingulare excogitauerunt: vt, quos natura
ipſa retinere in officio non potuiſſet, ij magnitudine pœnæ

maleficio ſummouerentur. Inſui voluerunt in culeum viuos, atque ita in flumen deiici.

Pœna parricidij exactius deſcribitur à Modeſtino, Tit. De lege Pompeia de parricidiis. Eius verba ſunt hæc,

Pœna parricidij more maiorum hæc inſtituta eſt, vt parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde culeo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia: deinde in mare profundum culeus iactetur. Hoc ita, ſi mare proximum ſit: alioquin beſtiis obijcitur ſecundum diui Adriani conſtitutionem.

Quo in loco pro Sanguineis legendum exiſtimatur Saligineis: quidam verò olim Sagmineis reponendum cenſuerunt. Cæterùm ab imperatore Conſtantino hæc parricidij pœna alijs etiam quibuſdam homicidiis ſtatuitur: Cod. De iis qui parentes vel liberos occiderunt.

Si quis parentis, aut filij, aut filiæ, aut omnino affectionis eius quæ nuncupatione parricidij continetur, fata properauerit, ſiue clam ſiue palam id enixus fuerit: pœna parricidij puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij ſolenni pœnæ ſubiugetur: ſed inſutus culeo, cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia: & inter eas ferales anguſtias comprehenſus, ſerpentium contuberniis miſceatur: & vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare vel in amnem proiiciatur: vt omni elementorum vſu viuus carere incipiat, & ei cælum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur.

Eadem in Inſtitut. referuntur: vbi pro Affectionis ſcriptum eſt Affinitatis: & Nuncupatione parentum, pro illis Nuncupatione parricidij. Sed & alia quædam illic aliter quàm hîc leguntur. Cæterùm quamuis Cicero non aliter pœnam illam parricidij deſcribat quàm dicens placuiſſe maioribus vt parricidæ in culeum viui inſuerentur, atque ita in flumen

flumen deiicerētur:accuratius tamen rationem reddidit cur hoc ſupplicij genus ab illis excogitatum fuerit. De illo enim loquutus, ita exclamat, O ſingularem ſapientiam, iudices. Nónne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & deripuiſſe, cui repentè cælum, ſolem, aquam terrámque ademerunt? vt, qui eum necaſſet vnde ipſe natus eſſet, careret ijs rebus omnibus ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Noluerunt feris corpus obiicere: ne beſtiis quoq; quę tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus vteremur. Non ſic nudos in flumen deiicere: ne, quum delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo cętera quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile neque tam vulgare eſt, cuius partem vllam reliquerint. Etenim quid eſt tam commune quàm ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita viuunt dum poſſunt, vt ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur vt eorum oſſa terram non tangant: ita iactantur fluctibus vt nunquam alluantur: ita poſtremò eijciuntur vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. Tanti maleficij crimen, cui maleficio tam inſigne ſupplicium eſt conſtitutum, &c.

EXTENSIO
AD HONORATIONEM SENVM GENERALEM.

LEVIT. XIX,

Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.

EX LACED. LEGIBVS,

Τοὺς γέροντας αἰσχυνέσθωσαν οὐδὲν ἧττον ἢ πατέρας.

ID EST,

Senes reuereantur non minus quàm patres.

EX PLAT. LEGIBVS,

Πᾶς αἰδείσθω τὸν ἑαυτοῦ πρεσβύτερον ἔργῳ τε καὶ ἔπει.

ID EST,

Quilibet ſeniorem ſe reuereatur, & factis & dictis. [vel, ætate prouectiorem.]

EX ALIO EIVSDEM LOCO,

Καλλωπίζεσθαι χρὴ τῷ καλῶς δουλεῦσαι μᾶλλον ἢ τῷ καλῶς ἄρξαι. πρῶτον μὲν τοῖς νόμοις (ὡς ταύτην τοῖς θεοῖς οὖσαν δουλείαν) ἔπειτα τοῖς πρεσβυτέροις τε καὶ ἐντίμως βεβιωκόσι, τοὺς νέους.

ID EST,

Magis gloriari iuuenes oportet quòd bene ſeruierint quàm quòd bene imperarint: primùm legibus (quippe quum idem hoc ſit ac dijs ſeruire) deinde ijs qui ſeniores ſunt, & vitam honoratè egerunt.

CHILO,

Τὸν πρεσβύτερον σέβου.

ID EST,

Seniorem te venerare. [vel, Prouectiorem ætate venerare.]

CALLISTRATVS,

L. Semper. De iure immunitatis.

Semper in ciuitate noſtra ſenectus venerabilis fuit. Nanque maiores noſtri penè eundem honorem ſenibus quem magiſtratibus tribuebant. Circa munera quoque municipalia ſubeunda idem honor ſenectuti tributus eſt.

Reuerentiæ ſenectuti debitæ multi mentionem fecerũt: ſed & exhibitam illi fuiſſe priſco ſeculo, non hiſtorici ſolùm verumetiam poetæ teſtantur. Legimus enim apud Naſonem,

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,

Inq;

Inq; ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Vbi obſerua Capitis cani reuerentia, ſicut Cano capiti aſſurgere iubemur à Moſe, vt quidem vetus interpres vertit in illo Leuitici loco. Legimus itē apud vnum ex poetis ſatyricis,

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer: licet ipſe videret
Plura domi farra & maiores glandis aceruos.

Obſeruandum eſt autem, Platonem in illo poſteriore loco (duo enim ex eius ſunt allati legibus) velle ſuos obtemperare, atque adeo (vt ipſe loquitur) ſeruire ſenioribus, ſed iis ſenioribus qui vitam honoratè egerint.

EXTENSIO

AD HONORATIONEM MAGISTRATVVM ET PRINCIPVM.

EXODI XXII,

MAgiſtratibus [*vel iudicibus*] non maledices: neque principi populi tui maledices.

DEVTER. XII,

Qui fecerit per ſuperbiam vt non obediat ſacerdoti qui ſteterit vt miniſtret illic coram Domino Deo tuo, aut iudici, morietur.

EX CHARONDAE LEGIBVS,

Πρὸς τοὺς ἄρχοντας εὔνοιαν διαφυλαττέτωσαν καθάπερ πατρικὴν, εὐπειθοῦντες καὶ σεβόμενοι.

ID EST,

Erga magiſtratus [vel præfectos, aut principes] beneuolentiam ſeruent, tanquam erga parentes, parendo ipſis & venerationem exhibendo.

Eſt autẽ hic νομοθεσίας Charondæ locus, ex quo petiit Cicero quædam, libro De legibus tertio, mentionem eius faciens. Interpretatur autem hîc ipſe Cicero ἄρχοντας, magiſtratus: (quum alioqui ἄρχοντας alicubi interpretari etiam poſſimus Præfectos, alicubi & Principes, ſeu Qui principatum obtinent) hæc enim ſunt eius verba,

Nec verò ſolùm vt obtemperent obediántque magiſtratibus, ſed etiam vt eos colant diligántque, præſcribimus: vt Charondas in ſuis facit legibus.

EX EIVSDEM CHAR. LEGIBVS,

Ἔστω δὲ μέγιστα ἀδικήματα, θεῶν καταφρόνησις, καὶ γονέων κάκωσις ἑκούσιος, καὶ ἀρχόντων καὶ νόμων ὀλιγωρία, καὶ ἑκούσιος ἀτιμία δικαιοσύνης.[1]

ID EST,

Cenſeantur autem eſſe maxima ſcelera, deorum contemptus, parentum mala tractatio voluntaria, magiſtratuum legúmque neglectus, & voluntaria iuſtitiæ dedecoratio.

EX ZALEVCI LEGIBVS,

Αἰδεῖσθαι χρὴ τοὺς ἄρχοντας, καὶ ἐξίστασθαι, καὶ ποιεῖν τὸ παραγγελλόμενον. ὡς μετὰ θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ἥρωας, γονεῖς τε καὶ νόμοι καὶ ἄρχοντες συνέγγυς εἰσὶ ταῖς τιμαῖς.

ID EST,

Legibus obtẽperare oportet, & magiſtratus reuereri, eiſque exurgere, & quæ iubẽt facere. Nã proximo poſt deos & dæmones atque heroes loco parentes legéſque & ma-

& magiſtratus ſunt honorandi.

EX PLAT. LEGIBVS,

Οἱ μὴ θέλοντες τοῖς ἄρχουσι δουλεύειν, τὴν λεγομένην παλαιὰν Τιτανικὴν φύσιν ἐπιδεικνῦσι καὶ μιμοῦνται.

ID EST,

Qui magiſtratibus ſeruire nolunt, priſcam illam Titanum naturam præ ſe ferunt atque imitantur.

EXTENSIO

AD HONORATIONEM PATRIAE.

EX ZALEVCI LEGIBVS,

Πόλιν φιλαιτέραν μηδεὶς ἄλλην ποιείσθω τῆς αὐτοῦ πατρίδος.

ID EST,

Nemo ciuitatis vllius amicitiam ſibi magis adiungat quàm ſua patria.

EX CHARONDAE LEGIBVS,

Ὑπὲρ πατρίδος ἀποθνήσκειν σεμνότερον ἔστω, ἢ γλιχόμενον τοῦ ζῆν, ἐγκαταλιπεῖν αὐτὴν καὶ τὸ καλόν.

ID EST,

Pro patria mortem oppetere, honorificentius exiſtimetur, quàm præ viuendi cupiditate illam pariter & honeſtatem deſerere.

EX PLAT. LEGIBVS,

τὴν πατρίδα θεραπεύειν δεῖ μειζόνως ἢ μητέρα παῖδας.

ID EST,

Patria magis colenda eſt quàm mater à liberis.

EX EIVSDEM CRITONE,

Σέβεσθαι δεῖ καὶ μᾶλλον ὑπείκειν καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν, ἢ πατέρα· καὶ ἢ πείθειν, ἢ ποιεῖν ἃ ἂν κελεύοι.

ID EST,

Venerari oportet patriam,eiq́ cedere ac ſe ſummittere,necnon ſuccenſenti magis adblãdiri quàm patri: atque adeò vel conſilium noſtrum voluntatémque ei probare,vel imperata facere.

Plura ibi ſunt & in præcedentibus & in ſequentibus, quibus, quanti patria facienda ſit, docet. Hæc enim ibi,paulo altius repetendo, de ea dicuntur (vt quidem Ficinus eſt interpretatus) An ſic es ſapiens vt te latuerit, & patri,& matri,& progenitoribus omnibus patriam eſſe anteponendam?atque eſſe venerabilius quiddam ſanctiúſque? & in ſuperiori ſorte, tum apud deos, tum apud homines mentis compotes eſſe patriam collocandam? coleréque eam oportere magis,eiq; obedire, ac rigidius ſe gerẽti, mitius aſſentiri quàm patri?&,ſiquid iubeat,vel diſſuadere illi quantũ liceat,vel facere,& patiẽtiſsimè ſuſtinere quicquid iuſſerit patiendũ? Ac ſiue mãdauerit verberari te,ſiue in vincula cõiici,ſiue in prælium miſerit ad vulnera excipienda,mortémq; ſubeundã, obediẽdũ ei omnino: (ius enim ita dictat) & neque tergiuerſandum eſt, neque fugiendum, neque ordo deſerendus: ſed & in bello & in iudicio, & prorſus vbique, ea ſunt quæ reſpubl. patriáque iuſſerit, facienda: aut certè verbis, quatenus iuſtum eſt, vti licet ad perſuadendum illi, cámque placandam. Hactenus Plato,illo, quem dixi interprete. Inter hæc autem eſt locus ille qui proximè allatus fuit,in quo cum alia aliter vertit,tum verò poſtremum membrum,ita acſi non πείθειν,ſed μεταπείθειν ſcriptum eſſet. Cum illis porrò Platonis verbis, καὶ [μᾶλλον] θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν, ἢ πατέρα, conueniunt iſta, Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς πῶς δεῖ ἀδικουμένους πατρίδι προσφέρεσθαι, εἶπεν, ὡς μητρί.

POMPONIVS,

L.Veluti. ff. De iuſtitia & iure.

Vt

Vt parentibus & patriæ pareamus.

Sed iuriſconſultus hîc parentum prius mentionem quàm patriæ facit, tanquam priorem in amore ſibi debito tenentium locum: quum Plato poſteriorem parentibus tribuat. Sic verò & Cicero prius nominat patriam quàm parentes, Offic. lib. 1, Sed ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officij, principes ſint patria & parentes, quorum beneficiis maximis obligati ſumus: proximi liberi, &c.

Illud etiam quod à legiſlatore Charonda dicitur, honeſtum atque adeo honorificum eſſe pro patria mortem oppetere, apud eundem legimus. Omnes (inquit, in illo 1. De off. libro) omnium charitates patria vna complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Idem De leg. lib. 2, Sic nos & eam patriam ducimus vbi nati, & illam qua excepti ſumus. Sed neceſſe eſt charitate eam præſtare, in qua reip. nomen & vniuerſæ ciuitatis eſt: pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in qua noſtra omnia ponere & quaſi conſecrare debemus.

EXODI XXI, ET DEVT. V,

Ne occidito.

EXODI XXI, LEVIT. XXIIII,

Qui percuſſerit hominem, & mortuus fuerit, morte moriatur.

Verùm & ante hanc legem Moſis, legimus Geneſ. IX,

Quicunque effuderit humanum ſanguinem, effundetur ſanguis illius.

Cui dicto reſpondet illud CHRISTI, *apud Matthaeum, cap.* XXVI,

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Atque cum his conuenit hoc quod conſtituerunt

THEODOS. ET ARCADIVS.

L.3.Cod.De epiſc.aud.

Homicida quod fecit expectet.

Hæc autem omnia de cæde voluntaria, ſeu conſultò facta (quam Græci φόνον ἑκούσιον *vel* φόνον ἐκ προνοίας *appellant) ſunt intelligenda: vt alij Moſis oſtendunt loci, Num.*XXXV.

LEX NVMAE,

Si quis hominem liberum ſciẽs dolo neci duit, parricida eſto.

Vbi parricida per auxeſin poni intelligendum eſt, ad maiorem homicidij deteſtationem: vt ſuprà dictum eſt, quum de parricidio ageretur.

DRACONIS LEX,

Τοὺς ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ, καὶ ἀπάγειν, ὡς ἐν τῷ ἄξονι ἀγορεύει. λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδὲ ἀποινᾶν· ἢ διπλοῦν ὀφείλειν ὅσον ἂν καταβλάψῃ.

ID EST,

Homicidas liceat occidere in noſtro territorio, & in carcerem ducere, vt in decemuirali tabula promulgatur: excruciare, aut pecuniam ab eis extorquere non liceat: alioqui duplum dati damni luendum.

LEGIS

LEGIS PRAECEDENTIS EXPOSITIO DEMOSTHENIS, IN orat. aduerſus Ariſtocr.

Legem audiuiſtis: contemplamini (quæſo) quàm præclarè ac ſupra modum religioſè conſtituerit legiſlator.

Homicidas inquit. Primùm igitur homicidam eum dicit qui iudicum ſententia iam ſit damnatus. Nec enim hac appellatione quiſquam continetur, priuſquam conuictus damnetur. Id vbi ſignificat? Tum in priore lege, tum in hac. Nam in illa ſcripſit, *Si quis cædem fecerit, ſenatus iudicet:* in hac homicidam nominans, quæ pati oporteat dixit. Quo enim in loco res crimen adhuc erat, iudicium nominauit: vbi verò damnatus huic appellationi iam obnoxius erat, pœnam ſcripſit. De damnatis igitur loquitur.

Quid verò loquitur? *Liceat occidere atque abducere.* Nunquid ad ſeſe, aut vt alicui licitũ fuerit? Minimè id quidem. Quomodo ergò? *Vt in decemuirali tabula* (inquit) *promulgatum eſt.* Illud verò quid eſt? Id quod vos omnes ſcitis. Sexviri eos qui propter cædem ſolum verterunt, ius habent morte mulctandi: annóque ſuperiore vidiſtis omnes è concione quendam ab eis abductum. Ad hos igitur abducere iubet. Quia qui abducit, Athenienſes, ad ſexviros, legum poteſtati facinoroſum ſubiicit: qui ad ſe ducit, ſuæ. Illo modo pœnas dare licet vt lex ſancit: hoc, vt illi qui cepit lubet. Plurimum autem profectò intereſt vtrum irrogandæ mulctæ ius penes legem ſit, an verò in

neant. Humiliores enim ſolẽt *vel beſtiis ſubiici, altiores verò deportantur in inſulam.

Obſeruandum etiam, quemadmodum à Moſe fit mentio non ſolùm homicidij in liberi perſona perpetrati, verùm & eius quod in ſerui perſona fuerit commiſſum: ita etiam Ægyptios, Græcos, Romanos legiſlatores vtriuſque meminiſſe: vt oſtendent quæ ſequuntur.

EXODI XXI,

Quum percuſſerit quiſpiam ſeruum ſuum vel ancillam ſuam bacillo, & mortuus fuerit ſub manu eius, vindicando vindicabitur.

LEX ÆGYPTIORVM,

Ὁ ἀποκτείνας ἑκουσίως τὸν ἐλεύθερον ἢ τὸν δοῦλον, θανάτῳ ζημιούσθω.

ID EST,

Qui voluntariè occiderit ſiue liberum ſiue ſeruum, morte mulctetur.

Huius autem legis (cur nimirum in ſerui quoque perſona perpetratã cædem morte puniri voluerit) rationes duas affert Diodorus: Vnam, quòd legiſlator homines à ſceleribus deterreri vellet, non ad diuerſam hominum conditionem reſpicientes, ſed quale eſſet quod facere in animum induxiſſent, ſecum reputantes. Alteram, quòd tantam ſeruorum curam gerendo aſſuefaceret homines ad hanc cogitationem, multo magis in liberos nihil prorſus admittendum eſſe.

Sed Euripides quoque legis Græcæ meminit cædem in vtriuſque conditionis hominibus pariter vindicantis; in Hecuba,

Νόμος δ᾽ ἐν ὑμῖν τοῖς τ᾽ ἐλευθέροις ἴσος
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.

At verò ex cõſtitutione diui Antonini non punitur quiſquis ſeruum ſiue ſuum ſiue alienum occiderit, ſed qui ſine cauſa. Inſtit. De iis qui ſui vel alieni iuris ſunt. §. Sed hoc temp.

Nam ex conſtitutione diui Antonini, qui ſine cauſa ſeruum ſuum occiderit, non minus puniri iubetur quàm ſi alienum ſeruum occiderit.

Atque his iſta adiiciuntur,

Sed & maior aſperitas dominorum, eiuſdem principis conſtitutione coercetur. Nam Antoninus conſultus à quibuſdam pręſid. prouinciarũ de iis ſeruis qui ad ædem ſacram vel ad ſtatuam principum confugiunt, præcepit vt ſi intolerabilis videatur ſæuitia dominorum, cogantur ſeruos ſuos bonis conditionibus vendere, vt pretium dominis detur, Et rectè. expedit enim reipublicæ ne ſua re quis male vtatur.

MARTIANVS,

L. 1. D. Ad legem Corn. De ſicariis,

Qui hominem occiderit, punitur: non habita differentia, cuius conditionis hominẽ interemit.

Hi autem omnes loci qui diſcrimen iſtud in puniendo adulterio tollunt, eo ſunt magis notandi quòd legimus apud Demoſthenem, oratione aduerſus Timocratem, *Atqui ſi apud vos ipſi conſideretis, iudices, quanti referat, ingenuum eſſe an ſeruum: illud maximum diſcrimen reperietis, quòd ſerui quicquid commiſerunt, corpore luere cogantur: ingenui autẽ hoc vltimum puniri debet. Iſti verò contrà pœnas corporibus ciuium, quaſi mancipia eſſent, inflixerunt.*

EXTEN-

EXTENSIO

AD PVNIENDAM ETIAM VOLVNtatem occidendi, ſeu mortis alicuius quouis modo machinationem.

MARTIANVS,

L. 1, D. Ad legem Corn. de ſicariis.

Lege Cornelia de ſicariis & veneficis tenetur qui hominem occiderit: cuiúſve dolo malo incendium factum erit: quíve hominis occidendi furtíve faciendi cauſa cum telo ambulauerit: quíve, quum magiſtratus eſſet, publicóve iudicio præeſſet, operam dederit quo quis falſum iudicium profiteretur, vt quis innocens conueniretur, condemnaretur. ¶ Præterea tenetur qui hominis necandi cauſa venenum confecerit, dederit: quíve falſum teſtimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur.

IDEM MART.

L. 3. tit. eodem.

Eiuſdem legis Corneliæ de ſicariis & veneficis capite quinto, qui venenum necandi hominis cauſa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plectitur. ¶ Eiuſdem legis pœna afficitur qui in publicum malè medicamenta vendiderit, vel hominis necandi cauſa habuerit.

EXTENSIO ALIA

AD PVNITIONEM EORVM QVI HOMIcidium non prohibuerint, quum poſſent.

LEX ÆGYPTIORVM,

Ἐάν τις ἐν ὁδῷ κατὰ τὴν χώραν ἰδὼν φονευόμενον ἄνθρωπον, ἢ τὸ καθόλου βίαιόν τι πάσχοντα, μὴ ῥύσηται, δυνατὸς ὤν, θανάτῳ ζημιούσθω.

ID EST,

Siquis per regionem iter faciens, hominem interfici, aut ei violentiam quampiam fieri viderit, ac non eum eripuerit, quum poſſet, morte mulctetur.

Qui hęc vertit antea, de ſuo aliquid addidiſſe videtur. nam pro illis, ἰδὼν φονευόμενον ἄνθρωπον, habet, *Hominem à latronibus cædi comperiret.* Minimè autem veriſimile eſt, legiſlatorem ad hanc cædem quæ per latrones fieret, legem ſuam reſtrinxiſſe. Sed quid interpretem illum ad hoc adiiciendum mouerit, paulo pòſt oſtendam.

ALIVD IN LEGE ILLA ADDITVM.

Addit Diodorus, oportuiſſe illum qui ferre opem ei non poſſet cui vis fieret, ſaltem latrones illos indicare, eámque iniuriam iudicio perſequi. Qui hoc non feciſſet, eum lex virgis cædi vſque ad certum plagarum numerum iubebat, & ab omni cibo per triduum arceri.

Quoniam autem hîc dicitur, μηνῦσαι γὰρ πάντως ὤφειλε τοὺς λῃστάς, ideo interpres ille cuius modò memini, ita ſuperiora vertit quaſi in ipſa lege ſcriptum eſſet, ἰδὼν φονευόμενον ὑπὸ λῃστῶν ἄνθρωπον: ſed potuit Diodorus tales homicidas, quicunque

cunque eſſent, latrones appellare, quatenus quod latronum eſſet facerent.

EXCEPTIONES
HOMICIDIORVM NON VOLVNTARIORVM. ET DE ASYLIS.

EXODI XXI,

AT *qui non inſidiatus fuerit homini, ſed Deus fuit cauſa* vt veniret *ad manum eius, tunc ponam tibi locum ad quem fugiet.*

NVMER. XXXV. verſ. 11,

Conſtituetis vobis vrbes, vrbes autem refugij erunt vobis: quò fugiet homicida qui percuſſerit aliquem per imprudentiam.

Verſ. 22, & ſequent.

Si autem caſu abſque inimicitijs impulerit eum, vel proiecerit in eum quoduis inſtrumentum abſque inſidijs,

Aut quemuis lapidem quo moriatur quem prius *non videbat, & cadere fecerit ſuper illum, mortuúſque fuerit, & ipſe non erat illi inimicus, neque quærebat malum eius:*

Tunc iudicabit cõgregatio inter percuſſorem & propinquum ſanguinis ſecundum iudicia iſta:

Et eruet congregatio homicidam è manu propinqui ſanguinis: & reuerti faciet eum congrega-

tio ad vrbem refugij ſui, ad quam confugerat: habitabítque in ea donec moriatur ſacerdos magnus qui vnctus eſt oleo ſanctitatis.

Quòd ſi egreſſus fuerit homicida terminum vrbis refugij ſui ad quam confugerat:

Et inuenerit eum propinquus ſanguinis extra terminum vrbis refugij ſui, atque occiderit propinquus ille ſanguinis homicidam, non erit obnoxius morti.

In ciuitate enim refugij ſui habitabit, donec moriatur ſacerdos magnus: poſteaquam autem mortuus fuerit ſacerdos magnus, reuertetur homicida in terram poſſeſſionis ſuæ.

DEVTER. XIX,

Præparabis tibi itinera, & in tres partes diuides terminum terræ tuæ quam in hæreditatem daturus eſt tibi Dominus Deus tuus: erítque vt fugiat illuc omnis homicida.

Hæc autem eſt res homicidæ qui fugiet illuc, & viuet: qui percuſſerit proximum ſuum ignoranter, neque oderat eum ab heri & nudiustertius:

Quíque abierit cum proximo ſuo in ſyluam ad cædendum ligna, & impulſa fuerit manus eius in ſecurim ad cædendum lignum, elapſum autem fuerit ferrum è ligno, inueneritque proximum ſuum, & moriatur: is fugiet ad vnam vrbium iſtarum, & viuet.

EXCE-

EXCEPTIONES HOMICIDIORVM EORVNDEM, ID EST, quæ ſunt eiuſdem generis,

EX VARIARVM GENTIVM LEGIBVS.

Homicidia per imprudentiam facta, miniméque dedita opera, φόνοι ἀκούσιοι *vocantur à Græcis. Sed & quædam ſunt cædes, in quibus quanuis non omnino fortuitus caſus cernatur, vt in iis de quibus dictum eſt, & aliis eiuſmodi de quibus dicetur ex iuriſconſultis, aut certè non eodem modo fortuitus: nihilominus inter* ἀκουσίους *cenſentur. Plato tamen de tali cædis genere loquens, vocare* ἀκούσιον *noluit, ſed illi tanquam* ἀκουσίῳ *ignoſcendum eſſe dixit. De leg. libro ſeptimo, vbi de eo loquitur qui aduerſarium in certamine ludicro, vel potius inter ciendum belli ſimulacra, interemerit:* Καὶ δὴ καί τινος ἀποθανόντος, οὕτως ὡς ἀκουσίου τοῦ φόνου γενομένου, τιθῇ, τὸν ἀποκτείναντα, κατὰ νόμον καθαρθέντα, καθαρὸν εἶναι χεῖρας. *Qui locus malè à quibuſdam intellectus fuit, verba illa,* οὕτως ὡς ἀκουσίου τοῦ φόνου γενομένου, *iungentibus cum iis quæ præcedunt. At Demoſthenes in Ariſtocratem, Atticam legem affert in qua dicitur inter alia,*

Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων, ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν, ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας, τούτου ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείνοντα.

ID EST,

Siquis occiderit in certaminibus [vel ludis] voluntariè, vel in itinere proſtrauerit, aut in bello imprudēs, ob hoc ne exulato qui cædem fecerit.

Quam legem examinans Demoſthenes, hæc, inter alia, ſcribit, Si quis in certaminibus [vel ludis] aliquē occiderit, hunc inſontem eſſe definiit. Quamobrem?

Non euentum conſiderauit, ſed eius qui fecerit, animum. Is verò quis fuit? viuentem ſuperare, non occidere. Quòd ſi ille infirmior fuit quàm qui ferre poſſet eum quem victoria requirit laborem: ipſum eius mali ſibi cauſam extitiſſe cenſuit: quapropter eius necem vlciſci noluit. Rurſus, ſi in bello (inquit) imprudens: & hunc eſſe purum. Rectè. ſi enim ego hoſtem eſſe ratus quempiam occidero, non dare pœnas, ſed veniam impetrare debeo.

VLPIANVS,

L. 7, §. Siquis in coll. D. Ad leg. Aquil.

Siquis in colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles, dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit: ſi quidem in publico certamine alius alium occiderit, ceſſat Aquilia. Quia gloriæ cauſa & virtutis, non iniuriæ gratia videtur damnum datum.

Notandum autem hîc, ſicut exemplum ſimile eſt vni illorum quæ proponuntur in illa lege Attica, vel potius idem cum eo, ita etiam rationem penè eandem quæ illic à Demoſthene afferri.

IDEM,

L. 9. §. finali. d. tit.

Si per luſum iaculantibus, ſeruus fuerit occiſus, Aquiliæ locus eſt. Sed ſi, quum alij in campo iacularentur, ſeruus per eum locum tranſierit, Aquilia ceſſat. Quia non debuit per campum iaculatorum iter intempeſtiuè facere. Qui tamẽ data opera in eũ iaculatus eſt, vtiq; Aquilia tenebitur.

ALPHENVS,

L. 52. §. fin. D. Ad legem Aquiliam,

Quum pila complures luderent, quidam ex his,

his ſeruulum, quum pilam percipere conaretur, impulit: ſeruus cecidit,& crus fregit. Quærebatur an dominus ſeruuli lege Aquilia, cum eo cuius impulſu ceciderat, agere poteſt. Reſpondi, non poſſe: quum caſu magis quàm culpa videretur factum.

Item Inſtit. §. Ac ne is quidem. De lege Aquilia.

Ac ne is quidem lege Aquilia tenetur qui caſu occidit: ſi modò culpa eius nulla inueniatur. Nam alioqui non minus ex dolo quàm ex culpa quiſque hac lege tenetur. ¶ Itaque ſiquis dum iaculis ludit, vel exercitatur, tranſeuntem ſeruum tuum traiecerit: diſtinguitur. Nam ſi id à milite in eo campo vbi ſolitus eſt exercitari, admiſſum eſt, nulla culpa eius intelligitur: ſi alius tale quid admiſerit, culpæ reus eſt. Idem iuris eſt de milite, ſi in alio loco quàm qui ad exercitandum militibus deſtinatus eſt, id admiſerit. ¶ Item, ſi putator ex arbore deiecto ramo ſeruum tuum tranſeuntem occiderit: ſi prope viam publicam aut vicinalem id factum eſt, neque proclamauit vt caſus euitari poſſet, culpæ reus eſt: ſed ſi proclamauit, nec ille curauit præcauere, extra culpam eſt putator. Æque extra culpã eſſe intelligitur, ſi ſeorſum à via fortè vel in medio fundo cædebat, licet non proclamauit: quia in eo loco nulli extraneo ius erat verſandi.

DE ALIO GENERE HOMICIDIORVM, QVAE LICET FORtuita videri poſsint, puniuntur.

EXODI XXI,

QVum autem rixati fuerint homines, & percuſſerint mulierem prægnantem, ita vt egrediatur fœtus eius, nec tamen fuerit mors: puniendo punietur, quemadmodum impoſuerit ei maritus mulieris, & dabit ſecundũ ſententiã iudicum. Quod ſi mors fuerit, tunc dabis animam pro anima,

Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c.

VLPIANVS,

L.27.§.22. Ad legem Aquiliam.

Si mulier pugno, vel equa ictu à te percuſſa eiecerit, Brutus ait Aquilia teneri, quaſi ruperit.

DE ALIIS HOMICIDIIS IRA SVBITA FACTIS, SIVE EX IVSTO dolore ſiue aliunde exorta: aut etiam ab eo qui vim vi vellet repellere.

*Homicidia ſubito iræ impetu perpetrata, Plato medium quoddam genus inter voluntaria & inuoluntaria conſtituit: De leg. lib.*I X. *Scribit enim,* Siquis verò manu ſua liberum hominem ira percitus interfe-

terfecerit, bipertitò iram oportet primùm diſtinguere. Per iram enim faciũt & qui ſubitò, abſque voluntate interimẽdi, verberibus vel quouis modo interfecerũt: (ita vt confeſtim poſt impetum pœnitẽtia ſequatur) & qui cõtumelia vel iniuria laceſsiti, ideóque in vindictæ cupiditate perſeuerantes, poſtea volentes interfecerunt: nec pœnitet ea feciſſe.

Quibus ſubiungit,

Duplicẽ igitur cædẽ ponere placet, vtranq; ira factã: quas inter voluntarias & inuolũtarias actiones, medias iure poſuerim. Neutra enim voluntaria reuera vel inuoluntaria eſt, ſed altera alterius eſt imago. Nam ille quidẽ qui iram ſeruat, nec repentè ſed cum inſidiis ſe poſtea vindicat, homicidæ volũtario eſt perſimilis: & qui non ſeruat, ſed primo iræ impetu fertur, & abſq; præmeditatione interficit, inuoluntario homicidæ ſimilis iudicatur. Non tamen omnino inuoluntarius eſt, ſed inuoluntarij habere ſimilitudinem dicitur.

Tandem ita concludit,

Quocirca per iram commiſſæ cædes difficilè determinantur, vtrum voluntariæ, an contrà, ponendæ ſint. Optima igitur & veriſsima ſententia eſt, vtraſque, imagines appellare: eáſque ſeorſim ita diſtinguere, vt altera conſultò, altera inconſultò committi dicatur. Maiora verò ſupplicia illis decet imponere qui conſultò per iram interfecerunt: illis contrà qui repentè & inconſultò, leuiora. Nempe quod grauiori malo ſimile, aſperius: quod verò leuiori, mitius puniendum. Ita

certè noſtris legibus agendum eſt.

Verùm legiſlatores ethnici hac in parte multo plus hominibus, quàm lex diuina, indulſerunt.

EXODI XXI,

Quum autem rixati fuerint aliqui, & percuſſerit aliquis proximum ſuum lapide vel pugno, & non fuerit mortuus, ſed deciderit in lectum:

Si ſurrexerit, & ambulauerit foras ſuper baculum ſuum, tum innocens erit qui percuſſit: tantùm ceſſationem eius dabit, & medendo mederi faciet.

Quum autem percuſſerit quiſpiam ſeruum ſuum vel ancillam ſuam bacillo, & mortuus fuerit ſub manu eius, vindicando vindicabitur.

Verumtamen ſi per diem vel per duos dies perſtiterit, non vindicabitur: quia pecunia eius eſt.

Quum autem rixati fuerint homines, & percuſſerint mulierem prægn.

Quæ ſequuntur, vide paulo antè.

MARTIANVS,

L.1.§. Diuus Hadrianus. D. Ad leg. Corn. de ſicariis.

Diuus Hadrianus reſcripſit, eum qui hominẽ occidit, ſi non occidendi animo hoc admiſit, abſolui poſſe: &, qui hominem non occidit, ſed vulnerauit, vt occidat, pro homicida damnãdum. Et ex re conſtituendum hoc. Nam ſi gladium ſtrinxerit, & in eo percuſſerit, indubitatè occidendi animo id eum admiſiſſe: ſed ſi claui percuſsit aut cucuma, in rixa, quanuis ferro percuſſerit, tamen non

non occidendi animo: leniendam pœnam eius qui in rixa caſu magis quàm voluntate homicidium admiſit.

LEX DRACONIS,

Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐπὶ δάμαρτι, ἢ ἐπὶ μητρὶ, ἢ ἐπ' ἀδελφῇ, ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ· τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείνοντα.

ID EST,

Siquis occiderit deprehenſum ſuper vxore, vel ſuper matre, vel ſuper ſorore, vel ſuper filia, vel ſuper concubina, aut ea quam ad ſuſcipiendos ingenuos liberos habeat: ob hac qui cædem fecerit ne exulato.

Hanc autem legem optima uiri ratione oſtendere volens Demoſthenes, ſcribit quæ ſequuntur.

Si ſuper vxore (*inquit*) aut ſorore, aut filia, aut concubina, aut ea quam ingenuæ ſobolis procreandæ cauſa quis apud ſe habuerit: eum etiam qui propter hæc aliquem occiderit, indemnem facit. Et omnium quidem iuſtiſsimè, Athenienſes, hunc dimittit. Quamobrem? Quia, pro quibus cum hoſtibus dimicamus, ad eos ab omni contumelia & iniuria vindicandos: pro iiſdem etiam amicos, ſiquam contra leges iniuriam aut contumeliam eis fecerint, occidere conceſsit. Quum enim non genus aliquod ſit amicorum & hoſtium, ſed è factis horum vtrumque cenſeatur: eos qui hoſtilia faciunt pro hoſtibus vlciſci lex permiſit.

VLPIANVS,

L. 23. D. Ad legem Iuliam de adulteriis coercendis.

Quod ait lex, IN FILIA ADVLTERVM DEPREHENDERIT, non otioſum videtur.

Voluit enim ita demum hanc poteſtatem patri competere,ſi in ipſa turpitudine filiam cum adultero deprehendat. Labeo quoque ita probat. Et Pomponius ſcripſit, in ipſis rebus venereis deprehenſum occidi. Et hoc eſt quod Solo & Draco dicunt ἐν ἔργῳ. ¶ Sufficit patri ſi eo tempore habeat in poteſtate,quo occidit, non quo in matrimonio collocauit. Finge enim, poſtea redactam in poteſtatem. Quare non vbicunque deprehenderit pater,permittitur ei occidere,ſed domi ſuæ generíve tantum. Illa ratio redditur,quòd maiorem iniuriam putauit legiſlator quòd in domum patris aut mariti auſa fuerit filia adulterum inducere.

L.ead.§.Quod ait.

Quod ait lex,IN CONTINENTI FILIAM OCCIDAT,ſic erit accipiendum,ne,occiſo hodie adultero, reſeruet, & poſt diem filiam occidat:vel contrà. Debet enim propè vno ictu & vno impetu vtrunque occidere, æquali ira aduerſus vtrunque ſumpta.Quòd ſi non affectauit,ſed, dum adulterum occidit,profugit filia: & interpoſitis horis apprehenſa eſt à patre qui perſequebatur:in continenti videbitur occidiſſe.

MACER,

L.24.tit.eod.

Marito quoque adulterum vxoris ſuæ occidere permittitur:ſed non quemlibet,vt patri.

PAPINIANVS,

L.38.D.Ad legem Iul.de adult.

Imperatores Marcus Antoninus & Commodus

dus filius reſcripſerunt, Si maritus vxorem in adulterio deprehenſam, impetu tractus doloris, interfecerit: non vtique legis Corneliæ de ſicariis pœnam excipiet. Nam & diuus Pius in hæc verba reſcripſit Apollonio, Ei qui vxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, vltimum ſupplicium remitti poteſt: quum ſit difficile, iuſtum dolorem temperare.

Quod autem ex Dracone & Solone affert Vlpianus ſuprà, ἐν ἔργῳ, extat in hac Solonis lege quæ à Plutarcho affertur,

Μοιχὸν ἀνελεῖν τῷ λαβόντι ἐν ἔργῳ, ἐξεῖναι.

ID EST,

Adulterum interficiendi, ei qui in opere ipſo deprehenderit, ius eſto.

Animaduerte autem, multo ſeueriorem eſſe hanc legem quàm Romanas, quum id quod permittit cuilibet, patri duntaxat & marito concedant. Romuli autem lege, marito & cognatis tantùm licuiſſe, quidam tradunt. In leg. Tab. XII, mariti tantùm ſit mentio, his verbis,

Aſt ſi maritus vxorem in adulterio deprehenderet, tum eam occidendi ius poteſtatémque haberet.

De homicidiis autem quæ vim repellendo perpetrantur, ſunt iſtæ leges.

DRACONIS LEX,

Ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως, εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ τεθνάτω.

ID EST,

Siquem violentas & iniurias manus inferentē, ſtatim cauſa defenſionis occiderit, impunè occiſus eſto.

Vbi Demoſthenes admonet, adiunxiſſe legiſlatorē voca-

vocabulum Statim, vt tolleretur mali aliquid conſulendi tempus. Adieciſſe etiam, Defenſionis cauſa, vt ſignificaret ſe læſo dare poteſtatem, non alij cuiquam.

EX LEGIB. TAB. XII,

Si nox furtum faxit, & im aliquis occiſit, iure cæſus eſto.

VLPIANVS,

L.4.D.Ad legem Aquiliam.

Si ſeruum tuum, latronem, inſidiantem mihi, occidero, ſecurus ero. Nam aduerſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere.

Quibus ſubiungit,

Lex duodecim tabularum furem noctu deprehenſum occidere permittit: vt tamen idipſum cũ clamore teſtificetur. Interdiu autem deprehenſum ita permittit occidere, ſi is ſe telo defendat: vt tamen æquè cum clamore teſtificetur.

IDEM,

L.5.tit.eod.

Sed & ſi quemcunque alium ferro ſe petentẽ quis occiderit, non videbitur iniuria occidiſſe: &, ſi metu quis mortis furem occiderit, non dubitabitur quin lege Aquilia non teneatur. Sin autem, quum poſſet apprehendere, maluit occidere: magis eſt vt iniuria feciſſe videatur. ergo & Cornelia tenebitur.

IMPPP. VALENT. THEODOS. ET ARCAD.

L.1.C.quando liceat vnic. ſe ſine iudice vindicare.

Liberam reſiſtendi cunctis tribuimus facultatem:

tem:vt quicunque militum vel priuatorum ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequentata inſidiis aggreſsionis obſederit, permiſſa cuicunque licentia, digno ilico ſupplicio ſubiugetur: ac mortē quam minabatur excipiat, & id quod intendebat incurrat.

GORDIANVS,

L.2.C.ad legem Corn. de ſic.

Siquis aggreſſorem vel quemcunque alium in dubio vitæ diſcrimine conſtitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet.

IDEM,

L.3.tit.eod.

Siquis percuſſorem ad ſe venientem, gladio repulerit, non vt homicida tenetur: quia defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur.

GALLIENVS,

L.4.tit.eod.

Si(vt allegas)latrocinantem peremiſti, dubiũ non eſt, cum qui inferendæ cædis voluntate præceſſerat, iure cæſum videri.

Pertinent autem hæc omnia ad illa dicta, quæ veluti principia & regulæ proponuntur à iuriſconſultis, Vim vi repellere licet: ſiue, Armis arma repellere licet. De illa autem priore, Vim vi repellere licet, legē Ciceronem: qui in orat. pro Milone habet etiam multa quæ ad præcedentes leges faciunt. Cæterùm huc pertinēt & quæ l. 3. D.tit.de iuſtitia & iure, ſcripta ſunt.

DE HOMICIDARVM ASYLIS, SEV PERFVGIIS.

A Moſe dantur aſyla ſeu perfugia (id eſt quædam vrbes pro aſylis & perfugijs) ijs tantùm homicidis qui planè ἀκουσίως, id eſt inuoluntariè, cædem fecerant. Nam aduerſus eos qui ἑκουσίως, legitur,

DEVTER. XIX,

SI quis autem odio habens proximum ſuum, inſidiatus fuerit vitæ eius, ſurgénſque percuſſerit illum, & mortuus fuerit, fugerítque ad vnam de ſupradictis vrbibus:

Mittent ſeniores ciuitatis illius, & arripient eum de loco effugij, tradéntque in manum proximi cuius ſanguis effuſus eſt: & morietur.

Ac tantum abeſt vt vlla vrbiũ illarum aſylum eſſe illis voluerit Deus, vt à ſuo etiam altari abſtrahi illos iuſſerit. Legimus enim,

EXODI XXI,

Siquis de induſtria occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur.

Sic videmus Adoniam abduci ab altari ad quod confugerat, 3. Reg. cap. 1.

Cæterùm apud ethnicos quoque fuerunt homicidis, (ſed non illis tantùm qui φόνους ἀκουσίους feciſſent) quædam aſyla, ſeu perfugia. Neque verò homicidis tantùm, ſed & aliis maleficis, aut certè aliorum maleficiorum

ficiorum accuſatis, fuerunt aſyla. Et locus in quem confu-gientes tuti erant, dicebatur ἔχειν ἀσυλίαν: *idemq́ de illis qui ad eum confugiebāt vſurpabatur. Quo dictum eſt modo,* εἰς τὸ Θησεῖον καταφυγόντες ἀσυλίαν εἶχον. *Sic apud Thucydidem legimus, Pauſaniam in fanum ſe proripuiſſe: ſic alibi, quoſdam* πρὸς τὴν ἑστίαν *confugiſſe. Quinetiam mentio fit aræ miſericordiæ apud Athenienſes, à Pauſania hiſtorico. Interdum verò ad aſyla confugiebant, & qui nullius criminis accuſati ab alicuius violentia tuti eſſe volebant.*

Quidam verò Chriſtiani imperatores in hoc quoq́ ethnicos aliqua ex parte ſunt imitati. Nam ita L. 3. Cod. De ijs qui confugiunt ad eccleſias, ſcribunt

IMPP. ARCAD. ET HONOR.

Ἀνεῴχθωσαν τοῖς αἰδέουσιν οἱ ναοὶ τοῦ μεγάλου θεοῦ. οὐ γὰρ μόνα τὰ θεῖα θυσιαστήρια καὶ τὸν εὐκτήριον ναὸν τὸν τεττάρων τῶν τειχῶν περιβολῇ τειχιζόμενον, εἰς ἀσφάλειαν συντελεῖν τῶν προσφευγόντων θεσπίζομεν, ἀλλ' ἔτι καὶ περαιτέρω τούτου τυγχάνει, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας, ἐλέου βαμὸν τοῖς προσφυγοῦσιν εἶναι προστάττομεν· ὥστε μεταξὺ τοῦ ναοῦ, ὃν τῷ προειρημένῳ τρόπῳ περιπεφράχθαι διεγράψαμεν, ἄχει τῶν πρώτων μετὰ τοὺς δημοσίους τόπους τῆς ἐκκλησίας θυρῶν, πᾶν τὸ παρεγκείμενον, εἴτε ἐν οἰκίαις, ἢ κήποις, ἢ αὐλαῖς, ἢ λουτροῖς, ἢ ἐν στοαῖς τυγχάνῃ, τοὺς εἰσδύντας πρόσφυγας, καθ' ὁμοιότητα τοῦ ναοῦ, φυλάττειν, καὶ μηδένα τούτοις ἱεροσύλους ἐπιβάλλειν χεῖρας.

ID EST, *(vulgarem ſequendo interpretationem)*

Pateant ſummi Dei templa timentibus. Non enim ſola altaria & oratorium templi circuniectū, qui eccleſias quadripartito parietum ſeptu con-

cludit, ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita: ſed vſque ad extremas fores eccleſię, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus: vt, inter templum, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica, & ianuas primas eccleſiæ quicquid fuerit interiacens, ſiue in cellulis, ſiue in domibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus, cõfugas interioris templi vice tueatur: nec in extrahendos eos conetur quiſquam ſacrilegas manus immittere, &c.

Sed & L.2.tit.eod.

IMPP. HONOR. ET THEOD.

Fideli deuotáque præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacroſanctas eccleſias confugientes abducere: ſub hac videlicet definitione, vt, ſi quiſquam contra hanc legem venire tentauerit, ſciat ſe maieſtatis crimine eſſe retinendum.

In præcedente autem lege Impp. ARCADII *&* HONORII, *quæ prima eſt, Iudæos hoc confugiendi more abuti ſolitos eſſe dicitur: & aduerſus hunc abuſum ita cauetur,*

Iudæi, qui reatu aliquo vel debitis fatigati, ſimulant ſe Chriſtianæ legi velle cõiungi, vt ad eccleſias confugientes euitare poſſint crimina, vel pondera debitorũ: arceantur, nec antè ſuſcipiantur quàm debita vniuerſa reddiderint, vel fuerint innocentia demonſtrata purgati.

IVSTINIANVS *poſtea, Authent. 38. tit. De eccleſiis conſtitutis in Africa, eam prærogatiuam in Eccleſiam Carthaginenſem contulit, vt qui ad eam confugiſſet,*

fugiſſet,impunitatem conſequeretur:niſi ſi homicidium, vel raptum virginis, aut vim in Chriſtianum admiſiſſet. Verùm id ad omnes eccleſias extenſum poſtea fuit.

Ad ſtatuas quoque imperatorum confugiebant nonnulli, vt apparet cum ex alijs locis, tum ex Lege Imppp. VALENT. THEODOS. *&* ARCAD. *Cod. De ijs qui ad ſtatuas confugiunt. Quinetiam hæc legimus Inſti. De ijs qui ſui vel alieni iuris ſunt. §. Sed hoc tempore.*

Nam Antoninus conſultus à quibuſdam præſidibus prouinciarum de ijs ſeruis qui ad ædem ſacram vel ad ſtatuam principum confugiunt, præcepit, vt ſi intolerabilis videatur ſæuitia dominorum, cogantur ſeruos ſuos bonis conditionibus vendere: vt pretium dominis detur.

Huc pertinet quod apud Philoſtratum legitur, καὶ ἄσυλος ἦν ὁ ἀνδριὰς τοῦ Τιβερίου. *id eſt, Aſyli loco erat ſtatua Tiberij. vel, Ad ſtatuam Tiberij confugientibus erat ius aſyliæ.*

Confugientis ad ſtatuam Cæſaris, aut in aſylum, meminit & Vlpianus, in tit. De ædilitio edicto. L. 17. §. Apud Labeonem.

EXTENSIO

AD PVNITIONEM HOMICIDII A QVADRVPEDE FACTI.

EXODI XXI,

S*I cornu petierit bos virum, vel mulierem, ita vt moriatur, lapidabitur bos, neque comedetur ca-*

ro eius:at dominus bouis erit innocens.

Quòd ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & conteſtatio facta fuerit domino eius, & non cuſtodierit eum, occiderit autem virum vel mulierem, bos ille lapidabitur, atque etiam dominus eius morietur.

Si pretium redemptionis impoſitum fuerit ei, tunc dabit redemptionem animæ ſuæ quantum impoſitum fuerit ei.

Inſtitut. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

Animalium nomine quæ ratione carent, ſi qua laſciuia, aut pauore, aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege duodecim tabularum prodita eſt. Quæ animalia ſi noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum ſcripta eſt: vt puta,

SI EQVVS CALCITROSVS CALCE PERCVSSERIT, AVT BOS CORNV PETERE SOLITVS CORNV PETIERIT.

Hæc autem actio in ijs quæ contra naturam mouentur, locum habet: cæterùm ſi genitalis ſit feritas, ceſſat actio. Denique ſi vrſus fugerit à domino, & ſic nocuerit: non poteſt quondam dominus conueniri: quia deſiit dominus eſſe, vbi fera euaſit. Pauperies autem eſt damnum ſine iniuria facientis datum. Nec enim poteſt animal iniuriam feciſſe dici quod ſenſu caret. Hæc quidē ad noxalem pertinent actionem.

Quanuis

Quanuis autem, vt hîc dicitur, non poſsit animal iniuriam feciſſe dici, tamē ſicut videmus illa lege Moſaica damnari morte animantia bruta quæ hominem occiderint (ad maiorem videlicet ipſius facti deteſtationem, & ne ſupereſſet autor qui triſtem caſus illius memoriam renouaret) ſic etiam Draconi placuiſſe legimus animantia quoque pœnas dare: & quod de hominibus qui cædem perpetraſſent ſanxit, vt extorres patria & finibus fierent, idem & de brutis animantibus, atque adeo de rebus inanimatis ſanxiſſe. Huc pertinet quod refert Suidas (Budæo interprete) de ſtatua Niconis Thaſij, pugilis celebrati: quum enim eius iam defuncti ſtatuam æmulorum vnus odio indulgens fuſtibus cæderet, tanquam Niconem ipſum viuum contumelia afficiens: ſtatua manium eius vltrix in cædentem collapſa oppreſsit eum & extinxit. Propter cuius necē, eius hæredes ſtatuam ipſam necis ream egerunt apud Thaſios, lege Draconis: tandémque ſtatua, necis damnata, ſententia iudicum in mare demerſa eſt. At verò à Pauſania id de Theagenis ſtatua narratur, in Eliacis. Quum (inquit) è vita iam deceſsiſſet Theagenes, ex eius obtrectatorū numero quidā ad eius ſtatuā nocte qualibet accedēs, eam flagris cædebat: non aliter quàm ſi in eo ære ipſum viuentem vlciſceretur. Quum autē hominē ſtatua ſubito caſu oppreſsiſſet, eius filij ſtatuam de cæde poſtularunt. Eſtque ea, Thaſiorum ſentētia, in mare abiecta: Draconis ſcilicet lege, qui anima etiam carētia, vrbe agróque exterminanda, quum leges ſcriberet, ſanxit: ſiquid fortè eorum corruens hominem peremiſſet. A Demoſthene huius legis fit mentio, vocante τὸ ἐπὶ πρυτανείῳ δικαστήριον. orat. in Ariſtocratem,

Ἐὰν λίθος, ἢ ξύλον, ἢ σίδηρος, ἢ τι τοιοῦτον, ἐμπεσὸν πατάξῃ, καὶ τὸν μὲν βαλόντα ἀγνοῇ τις, αὐτὸ δὲ εἰδῇ καὶ ἔχῃ τὸ τὸν φόνον εἰργασμένον, τούτοις ἐνταῦθα λαγχάνεται.

I D E S T,

Si lapis, aut lignum, aut ferrum, aut tale quidpiam, delapſum, percuſſerit: atque aliquis à quo id coniectum ſit ignoret, ipſū verò norit & habeat telū quo cædes facta eſt: his rebus in hoc loco iudicium dictatur.

EXODI XX, LEVIT. XVIII, DEVTER. V,

Ne adulterium committe.

LEVIT. XX,

Homo autem qui adulterium commiſerit cum vxore alicuius: qui [inquam] adulterium commiſerit cum vxore proximi ſui, morietur adulter & adultera.

Pauſanias Hyettum quendam fuiſſe primum dicit qui de adulterio pœnam ſumpſerit. Draconem enim multo pòſt cum de aliis rebus, tum de adulterij pœna leges tuliſſe. Non addit tamen qualem pœnam conſtituerit: verùm ab aliis traditur capitalem fuiſſe. Qua in re Solon eum minimè ſequutus eſt: ſed tamen eos qui perſuadendo, ſine vi alienam vxorem corrupiſſent, capite punitos fuiſſe, ex Lyſia diſcimus.

Ex iis qui pœna capitalis mentionem faciunt, eſt quidam Nicoſtratus: de vxore loquens.

Καὶ φοβείσθω τὸ ὄνομα τῆς μοιχείας, εἴγε ταύτῃ μέλλει ζῆν, καὶ μὴ ἀποσφάττεσθαι.

Priſcis autem Romanis potiſſimùm, ſicut & priſcis Græcis (nam mitiorem poſtea pœnam Solon ſtatuit) capitis pœna punitum fuit adulterium. Affertur ex XII. *Tab. legibus, dè muliere adultera,*

Adulterij conuictam vir & cognati vti volent necanto. *Item,*

Lex Iulia de adulteriis coercendis, temerato-

res

res alienarũ nuptiarum gladio punit, *Inſtit. §. Itẽ lex Iulia. De publ. iudiciis.*

Item,

ALEX. SEVERVS,

L. 9. Cod. Ad legem Iul. de adulteriis.

Qui autem adulterij damnatam, ſi quocunque modo pœnam capitalem euaſerit, ſciens duxerit vxorem, eadem lege ex cauſa lenocinij punietur. *Vnde colligitur, pœnam adulterij illo etiam ſeculo fuiſſe capitalem. Quoniam tamen capitalium pœnarum plures ſunt gradus (L. 28. D. De pœnis) ita vt non ſolùm ad furcam damnatio, item viui crematio & capitis amputatio appellatione illa contineantur, ſed etiam metalli coercitio, & in inſulam deportatio: poſſet aliquis, de qua intellexerit Alex. Seuerus, dubitare: id conſtabit ex aliis legibus. Ita enim*

DIOCLET. ET MAXIM.

L. 18. Cod. De tranſact.

Tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt. In aliis autẽ publicis criminib. quæ ſanguinis pœnã non ingerunt, tranſigere non licet citra falſi accuſationẽ. *Quod enim vocauerat crimen capitale, appellat poſtea crimen quod ſanguinis pœnã ingerit. Sed multo apertius*

CONSTANTINVS,

L. 30. §. fin. Cod. ad legem Iuliam.

Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet, *Verùm & Iuſtinianus loco ſupradicto dat locum legi Iuliæ, quæ temeratores alienarum nuptiarum gladio punit.*

At verò apud Demoſthenem oratione in Neæ-

ram alius quàm capitalis pœnæ ſit mentio aduerſus adulteram. Legimus enim,

Ἐπειδὰν δὲ ἕλοι τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί· ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω. μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ᾽ ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ. ἐὰν δ᾽ εἰσίῃ, νηποινεὶ πασχέτω ὅ, τι ἂν πάσχῃ, πλὴν θανάτου.

ID EST,

Poſtquam autem adulterum deprehenderit, ei qui deprehendit, porrò habere mulierem in matrimonio ne liceat. quam ſi retinuerit, ignominioſus eſto. Neque mulieri liceat ingredi in fana publica, cum qua fuerit adulter deprehenſus. Sin ingreſſa fuerit, impunè quiduis in eam liceat, morte excepta.

Dixerat verò ante recitationem legis, Hac autem de cauſa mulieribus adulteris, etſi cæteris omnibus iniuriis exagitentur, negauit vltionem, interfici tamen noluit: ne fana polluantur, aut religio violetur: ſatis magno terrore illi ſexui iniecto, ad colendam modeſtiã & flagitia vitanda: traditáque diſciplina, domum, ſicut æquum eſt, cuſtodiẽdi: quoniam, ſiquid tale in ſe admiſerint, ſimul & ædibus mariti & publicis vrbis fanis ſint eiicienda.

Sicut autem ἄτιμον *eſſe vult hæc lex eum qui adulteram in matrimonio habeat, ita Plato aduerſus eum qui adulterium committit, hanc legem ſtatuit, vt ſit* ἄτιμος.

Verùm & apud quoſdam populos ignominia tantùm aliqua publicè afficiebantur adulteri. vt legimus apud Nicolaum Damaſcenum, moris fuiſſe apud Piſidas, eum qui deprehenſus in adulterio eſſet, per vrbem circum-

circumduci ſuper aſino, unà cum muliere: idque ad certum dierum numerũ. Ac cõſuetudinis huic ſimilis mentionem facit & Plutarchus.

Ægyptiorum lege, ei qui ingenuam mulierem ſtupraſſet pudenda amputabantur.

Apud Romanos autem ſeuerior in adulteros fuit lex Iulia, de qua Inſtit. §. Item lex Iulia. De publicis iudiciis.

Item lex Iulia de adulteriis coercendis quæ nõ ſolùm temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, ſed & eos qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent.

PAPINIANVS,

L. 20. D. Ad legem Iuliam de adulteriis coercendis.

Patri datur ius occidendi adulterum cum filia quam in poteſtate habet.

Idem ius fuit & marito: vt videbis in proximè præcedente capite de adulterio. Xenophon quoque teſtatur in multis rebuſpubl. ſolos adulteros impunè occidere licuiſſe.

DEVT. XXII,

Quum fuerit puella virgo deſponſata viro, & inuenerit eam aliquis in vrbe, coiéritque cum ea:

Educetis vtrunque ad portam vrbis eius, & lapidabitis eos lapidibus, ac morientur.

VLPIANVS,

L. 13. §. Diui Seuerus & Anton. D. Ad legem Iul. de adult. coerc.

Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, etiam in ſponſa hoc idem vindicandum: quia ne-

que matrimonium qualecunque, nec ſpem matrimonij violare permittitur.

EXTENSIO
ADVERSVS STVPRATORES.

LEVIT. XXI,

QVum quis inuenerit puellam virginem, quæ deſponſata non ſit, & apprehenderit eam, coierítque cum ea, & deprehenſi fuerint:

Tunc dabit vir ille qui coierit cum illa, patri puellæ quinquaginta argenteos, & erit illi vxor, eò quòd afflixerit eam: non poterit eam dimittere omnibus diebus ſuis.

Inſtitut. §. Item lex Iulia. De publicis iudicijs.

Sed eadem lege Iulia etiã ſtupri flagitium punitur, quum quis ſine vi vel virginem vel viduam honeſtè viuentem ſtuprauerit.

PAPINIANVS,

L. 6. Ad legem Iul. de adult. coerc.

Inter liberas tantùm perſonas adulterium ſtuprúmve paſſas lex Iulia locum habet. Quod autem ad ſeruas pertinet, & legis Aquiliæ actio facilè tenebit, & iniuriarum quoque competit. Nec erit deneganda prætoria quoque actio de ſeruo corrupto: nec propter plures actiones parcẽdum erit in huiuſmodi crimine reo.

IDEM,

IDEM,

L. 8. eodem tit.

Qui domum ſuam, vt ſtuprum adulteriúmve cum aliena matrefamilias vel cum maſculo fieret, ſciens præbuerit, vel quæſtum ex adulterio vxoris ſuæ fecerit: cuiuſcunque ſit conditionis, quaſi adulter punitur.

PAVLVS,

L. 1. De extraord. criminibus.

Qui puero ſtuprum, abducto ab eo vel corrupto comite, perſuaſerit, aut mulierem puellámve interpellauerit, quídve impudicitię gratia fecerit: domum præbuerit, pretiúmve quo iis perſuadeat, dederit: perfecto flagitio, puniuntur capite: imperfecto, in inſulam deportantur. corrupti comites ſummo ſupplicio afficiuntur.

Ibidem, ab eodem, in principio legis, volũtas etiam, ad effectum non perueniens, punienda cenſetur: his verbis,

Sollicitatores alienarum nuptiarum, itémque matrimoniorum interpellatores, etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt, propter voluntatem tamẽ pernicioſæ libidinis, extra ordinem puniũtur.

EXTENSIO
ADVERSVS PROSTITVENTEM SVAM FILIAM.

LEVIT. XIX,

NE polluas filiam tuam, proſtituendo eam: neque fornicetur terra, & impleatur ſcelere.

IMPP. THEOD. & VALENT.

L.6.Cod.De ſpectac.& ſcenicis & lenonibus.

Lenones, patres & dominos, qui ſuis filiabus vel ancillis peccandi neceſsitatem imponunt,nec iure frui dominij, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet eos indignatione ſubduci,ne poteſtatis iure frui valeant, néve quid eis ita poſsit acquiri.

Paucis interiectis,

Ita vt ſi inſiſtendum eis lenones eſſe crediderint,vel peccandi ingerant neceſsitatem inuitis, amittant non ſolùm eam quam habuerint poteſtatem, ſed proſcripti, pœnæ mancipentur exilij, metallis addicendi publicis: quæ minor pœna eſt quàm ſi præcepto lenonis cogatur quiſpiam coitionis ſordes ferre quas nolit.

L.7.eod.tit.

Nequis deinceps lenocinium exerceat,& nullus reditus inde largitionibus inferatur: nullus ancillam ingenuámve proſtituat.Alioquin humilior qui id fecerit,coercitus, metalli & exilij pœna damnabitur: honeſtior bona & militiam ac dignitatem amittet.

EXTENSIO

ADVERSVS CONCVBITVS CONTRA NATVRAM.

LEVIT. XVIII,

CVm maſculo ne concumbas concubitu mulieris: abominatio eſt.

Et

Et cum nullo animali dabis coitum tuum, vt polluaris cum eo. Neque mulier ſtabit ante animal vt coeat cum eo: turpitudo eſt.

LEVIT. XX,

Quicunque præterea coierit cum maſculo coitibus mulieris, abominationem fecerunt ambo: moriendo morientur: ſanguis eorum ſuper eos.

IBIDEM,

Siquis autem dederit coitum ſuum in brutũ, moriendo morietur: & iumentum occidetis.

Mulier item quæ acceſſerit ad aliquod animal ad coeũdum cum eo, occides mulierem & animal: moriendo morientur: ſanguis eorum ſuper eos.

Inſtitut. §. Item lex Iulia. De publ. iudiciis.

Item lex Iulia de adulteriis coercendis quæ non ſolùm temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, ſed & eos qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent.

Vide & in proximè præcedente extenſione aduerſus ſtupratores.

EXTENSIO

AD ILLICITAS ET INCESTAS NVPTIAS.

LEVIT. XVIII,

Nemo ad vllam propinquam carnis ſuæ accedat, ad reuelandam turpitudinem. Ego Dominus.

Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non reuelabis:mater tua eſt,non reuelabis turpitudinem eius.

Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis: turpitudo patris tui eſt.

Turpitudinem ſororis tuæ, filiæ patris tui,aut filiæ matris tuæ, quæ genita eſt domi vel genita eſt foris:non reuelabis turpitudinem earum.

Turpitudinem filiæ filii tui, vel filiæ filiæ tuæ nõ reuelabis:quia turpitudo tua ſunt.Turpitudinem filiæ vxoris patris tui,prolis patris tui, quæ ſoror tua eſt,non reuelabis.

Turpitudinem ſororis patris tui non reuelabis. nam conſanguinea patris tui eſt.

Turpitudinem ſororis matris tuæ non reuelabis: quia conſanguinea matris tuæ eſt.

Turpitudinem fratris patris tui non reuelabis: ad vxorem eius non accedes. nam vxor fratris patris tui eſt.

Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis: vxor filij tui eſt,non reuelabis turpitudinem eius.

Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui eſt.

Turpitudinem mulieris & filiæ eius non reuelabis: filiam filii eius & filiam filiæ eius non accipies ad reuelandum turpitudinem eius. conſanguineæ ſunt,ſcelus eſt.

Mulie-

Mulierem quoque cum ſorore ſua non accipies, ad affligendum, ad reuelandum turpitudinem eius, ea vidente in vita ſua.

LEVIT. XX,

Quicunque concubuerit cum vxore patris ſui, turpitudinem patris ſui reuelauit: moriendo morientur ambo, ſanguis eorum ſuper eos.

Vir autem qui coierit cum nuru ſua, moriendo morientur ambo: confuſionem fecerunt: ſanguis eorum ſuper eos.

Uno verſu interiecto,

Qui verò acceperit mulierem & matrem eius, ſcelus eſt: igni comburent illum & illas, ne ſit ſcelus in medio veſtri.

Duobus verſibus interiectis,

Quiſquis verò acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui, aut filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, ipſáque viderit turpitudinem eius: opprobrium eſt. propterea ſuccidentur in oculis filiorum populi ſui. Turpitudinem ſororis ſuæ reuelauit, iniquitatem ſuam feret.

Uno verſu interpoſito,

Turpitudinem ſororis matris tuæ & ſororis patris tui non diſcooperies: quia propinquam ſuam nudauit, iniquitatem ſuam portabunt.

Quiſquis autem dormierit cum vxore fratris patris ſui, turpitudinem fratris patris ſui reuelauit:

iniquitatem ſuam portabunt: orbati morientur.

Qui item acceperit vxorem fratris ſui, opprobriũ eſt: turpitudinem fratris ſui reuelauit: orbati erunt.

Ex leg. Tab. XII,

Inceſtum pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto.

MODESTINVS,

L. 42. De ritu nuptiarum. & in reg. iuris. reg. 197.

Semper in coniunctionibus, non ſolùm quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit.

CAIVS,

L. 52. De ritu nuptiarum.

Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas quæ in numero parẽtum liberorúmve ſunt, ſiue proximi ſiue vlterioris gradus ſint: vſque ad infinitum.

IVSTINIAN.

Inſtit. §. Ergo non omnes, De nuptiis.

Ergo non omnes nobis vxores ducere licet. nam à quarundam nuptiis abſtinendum eſt. Inter eas enim perſonas quæ parentum liberorúmve locum inter ſe obtinent, contrahi nuptiæ non poſſunt: veluti inter patrẽ & filiam, vel auum & neptem: vel matrem & filium, vel auiam & nepotem: & vſque in infinitum. Et, ſi tales perſonæ inter ſe coierint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe

xiſſe dicuntur. Et hæc adeo vera ſunt, vt quanuis per adoptionem, parentum liberorúmve loco ſibi eſſe cœperint, non poſsint inter ſe matrimonio iungi: intantum vt etiam diſſoluta adoptione, idem iuris maneat. Itaque eam quæ tibi per adoptionem filia vel neptis eſſe cœperit, non poteris vxorem ducere: quanuis eam emancipaueris.

Paulo pòſt,

Affinitatis quoque veneratione à quarundam nuptiis abſtinere neceſſe eſt. vt ecce, priuignam aut nurum, vxorem ducere non licet: quia vtræque filiæ loco ſunt. Quod ita ſcilicet accipi debet, ſi fuit nurus aut priuigna tua.

Item,

Socrum quoque & nouercam prohibitum eſt vxorem ducere: quia matris loco ſunt.

DIOCLET.

L. 17. Cod. De nuptiis.

Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte vel pronepte: itémque cum matre, auia, vel proauia. Et ex latere, amita, ac matertera, ſorore, ſororis filia, & ex ea nepte: præterea fratris tui filia, & ex ea nepte. Itémque ex affinibus, priuigna, nouerca, nuru, ſocru, cæteríſque quę iure antiquo prohibentur: à quibus cunctos volumus ſe abſtinere.

Vt autem non ſolùm perſonarum quæ ſunt in linea aſcendentium & deſcendentium, ſed & illarum quæ ſunt in linea collaterali æquali mentionem fieri à Moſe videmus, ita quarundam etiam quæ in hac collaterali ſunt, mentionẽ facit Diocletianus in loco proximè præ-

cedente. Eodémque pertinent quæ ſequuntur.

PAVLVS,

L. fin. De ritu nuptiarum.

Iure gentium inceſtum committit qui ex gradu aſcendentium vel deſcendentium vxorem duxerit. Qui verò ex latere eam duxerit quam vetatur, vel affinem quam impeditur : ſi quidem palam fecerit, leuius : ſi verò clam hoc commiſerit, grauius punitur. Cuius diuerſitatis illa ratio eſt circa matrimonium, quòd ex latere non bene contrahitur.

IVSTINIAN.

§. Inter eas quoque. De nuptijs.

Inter eas quoque perſonas quæ ex tranſuerſo gradu cognationis iunguntur, eſt quædam ſimilis obſeruatio: ſed non tãta. Sanè enim inter fratrem ſororémq; nuptiæ prohibitæ ſunt, ſiue ab eodem patre eadémque matre nati fuerint, ſiue ex altero eorum.

VALENTIN.

L. 5. Cod. De inceſtis nuptijs.

Fratris vxorem ducendi, vel duabus ſororibus coniungendi, penitus licentiam ſummouemus, nec diſſoluto quocunque modo coniugio.

ZENO,

L. 8. Cod. de inceſtis nuptijs.

Licet quidam AEgyptiorum idcirco mortuorum fratrum ſibi coniuges matrimonio copulauerint, quòd poſt illorum mortem manſiſſe virgines dicebantur, arbitrati ſcilicet (quod certis legum conditoribus placuit) quum corpore non conuenerint,

conuenerint, nuptias non videri re eſſe contractas: & huiuſmodi connubia tunc temporis celebrata, firmata ſunt: tamen pręſenti lege ſancimus, ſiquæ huiuſmodi nuptiæ contractæ fuerint, eas earumque contractores, & ex his genitos, antiquarum legum tenori ſubiacere, nec ad exẽplum AEgyptiorum (de quibus ſuprà dictum eſt) eas videri fuiſſe firmatas, vel eſſe firmandas.

ANASTASIVS,

L.9. Cod. eod. tit.

Ab inceſtis nuptiis vniuerſi qui noſtro reguntur imperio, nouerint temperandum. Nam reſcripta quoque omnia, vel pragmaticas formas, aut conſtitutiones impias, quæ quibuſdam perſonis tyrannidis tempore permiſerunt ſceleſto contubernio matrimonij nomen imponere, vt fratris filiam, vel ſororis, vel eam quæ cum fratre quodam nuptiali iure habitauerat, vxorem legitimam turpiſsimo conſortio liceret amplecti, aut vt alia huiuſmodi committerentur, viribus carere decernimus: ne diſsimulatione culpabili nefanda licentia corroboretur.

Et ſicut inter perſonas à Moſe exceptas ſunt etiam quæ ad collateralem lineam inæqualem pertinent, ita & in Romano iure.

CAIVS,

L.17. §. Amitam. De ritu nuptiarum.

Amitam quoque & materteram, item magnam quoque amitam & materteram magnam prohibemur vxorem ducere: quanuis magna amita & matertera quarto gradu ſint. Vtique autem ami-

tam & amitam magnam prohibemur vxorem ducere, etſi per adoptionem nobis coniunctæ ſint.

L.17.Cod.de nuptijs.

Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte, vel pronepte: itémque cum matre, auia, vel proauia: & ex latere, amita, ac matertera, ſorore, ſororis filia.

Sequentia vide ſuprà.

Rationem autem affert Iuſtinianus, Inſtit. §. Item amitam. De nuptijs.

Item amitam, licet adoptiuam, ducere vxorem non licet, item nec materteram: quia parentũ loco habentur. Qua ratione verum eſt, magnã quoque amitam & materteram magnam prohiberi vxorem ducere.

ARCAD. ET HONOR.

L.6.Cod.De inceſtis nuptijs.

Siquis inceſti vetitíque coniugij ſeſe nuptijs funeſtauerit, proprias quandiu vixerit teneat facultates: ſed neque vxorem neque filios ex ea editos habere credatur. Nihil prorſus prædictis neque per interpoſitam quidem perſonam, vel donet ſuperſtes, vel moriturus derelinquat. Dos ſi qua fortè ſolenniter aut data aut promiſſa fuerit, iuxta ius antiquum, fiſci noſtri commodis cedat. Teſtamento ſuo extraneis nihil derelinquat: ſed (ſiue teſtatò, ſiue inteſtatò) legibus ei & iure ſuccedant ſiqui fortè ex iuſto & legitimo matrimonio editi fuerint. hoc eſt, de deſcendentibus, filius, filia: nepos, neptis: pronepos, proneptis: de aſcendentibus autem, pater, mater: auus, auia: de latere,

tere,frater,ſoror:patruus, amita. Teſtandi ſanè ita demum habeat facultatem, vt his tantummodo perſonis,pro iuris ac legum,quod voluerit,arbitrio relinquat, quas ſuccedere imperialis præcepti tenore mandauimus. Ita tamen vt ab hæreditate defuncti penitus arceatur ſiquis ex iis quos memorauimus, in contrahendis inceſtis nuptiis conſilium iniiſſe monſtrabitur: ſucceſſuro in locum illius qui poſt eum gradu proximus inuenitur. Et ſanè,quæ de viris cauimus,etiam de fœminis quæ prædictorum ſeſe conſortiis commaculauerint,cuſtodiantur. Memoratis verò perſonis non extantibus,noſtro fiſco locus pateat.

IVSTINIAN.

Authent.No.Conſtit.12.cap.1.

Sancimus igitur de cætero, ſiquis illicitas & contrarias naturæ (quas lex inceſtas & nefandas & damnatas vocat)contraxerit nuptias:ſi quidem non habuerit filios ex prioribus legitimis & inculpabilibus ſibi contractis nuptiis, mox ei ſuarum rerum caſum imminere:ſimul autem & eorũ quæ nomine dotis data ſunt ei, in nullo potiri, ſed omnia ærario aſsignari:eo quòd dũ licuerit nuptias facere legitimas,contra leges amauerit:& confuderit quidem ſobolem,nocuerit autem & generi: egerit verò quę impia ſunt & ſceleſta,& talia concupierit qualia plurima etiam irrationabilia amouent animalia.Sitque ei pœna non confiſcatio ſolùm, ſed etiam cinguli priuatio & exilium: &, ſi vilis fuerit,etiam corporis verberatio, quatenus diſcat caſtè viuere,& intra naturam ſe continere:

non autem delectari, & amare vltra terminum traditum nobis à natura. Muliere quoque, ſi legem ſciens, hanc quidem neglexerit, inceſtis autem ſemetipſam tradiderit nuptiis, ſub eadem conſtituenda pœna.

EXTENSIO

AD PVNITIONEM RAPTORVM VIRginum, nuptarum, aut viduarum.

Extenſio hæc ad punitionem raptorum, aptiorem locum habuiſſet poſt eam quæ eſt ad punitionem ſcortatorum: ſed minus apto potius quàm nullo ponendam loco exiſtimauimus. Poteſt certè huc quoque referri quod Moſes ſcribit de eo qui inuenerit puellam virginem quæ deſponſata non ſit, eámque apprehenderit, & cum ea concubuerit.

EX SOLONIS LEGE,

Ἐάν τις ἁρπάσῃ ἐλευθέραν γυναῖκα καὶ βιάζηται, ζημίαν δέκα δραχμὰς τάξασθαι.

ID EST,

Siquis ingenuam mulierem rapiat, vímque ei inferat, drachmis decem mulctator.

At multo ſeuerius leges Romanæ crimen hoc punierũt, vt ſequentia oſtendunt.

MARTIANVS,

L.5.§.fin. Ad legem Iul. de vi publica.

Qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam, vltimo ſupplicio punitur. Et, ſi pater iniuriam ſuam precibus exoratus remiſerit, tamen extraneus

neus ſine quinquennij præſcriptione reum poſtulare poterit: quum raptus crimen legis Iuliæ de adulteriis poteſtatem excedat.

IVSTINIAN.

L vnica. Cod. De raptu virg. ſeu vid.

Raptores virginum honeſtarum, vel ingenuarum, ſiue iam deſponſatæ fuerint, ſiue non, vel quarumlibet viduarum fœminarum, licet libertinæ vel ſeruæ alienæ ſint, peſsima criminum peccantes capitis ſupplicio plectendos decernimus.

Paucis interiectis,

Et meritò mortis damnantur ſupplicio, quum nec ab homicidij crimine huiuſmodi raptores ſint vacui. Ne igitur ſine vindicta talis creſcat inſania, ſancimus per hanc generalem conſtitutionem, vt ij qui huiuſmodi crimen commiſerint, & qui eis auxilium inuaſionis tempore præbuerint: vbi inuenti fuerint, in ipſa rapina & adhuc flagranti crimine comprehenſi, & à parentibus virginum vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet fœminarum, aut earum conſanguineis, aut à tutoribus vel curatoribus, vel patronis, vel dominis conuicti, interficiantur.

EXODI XX, & DEVT. V,

Ne furtum facito.

LEVIT. XIX,

Ne furtum faciatis, & non negetis, neque men

tiamini quiſque in proximum ſuum.

DE POENIS FVRTI.

EXODI XXII,

Quum furatus fuerit quis bouem aut pecudem, & iugulauerit eum, aut vendiderit illum: quinque boues reddet pro illo boue, & quatuor pecudes pro pecude illa.

Si in effoßione inuentus fuerit fur, & percuſſus fuerit, mortuúſque fuerit: non erit percuſſor morti obnoxius.

At ſi ortus fuerit ſol ſuper eũ, erit morti obnoxius: reddendo reddet: ſi non ſit ei, vendetur propter furtum ſuum.

Si deprehendatur in manu eius furtum, à boue vſque ad aſinum, vſque ad pecus, viua duo reddet.

Si depaſci fecerit aliquis agrum vel vineam, & immiſerit iumentum ſuum, pauerítque in agro alterius: bonitatem agri ſui & bonitatem vineæ ſuæ reddet.

NVMER. V,

Loquutus eſt præterea Dominus ad Moſem, dicendo,

Alloquere filios Iſrael, Vir, ſiue mulier, quum fecerint [aliquod] ex omnibus peccatis hominum, præuaricando præuaricationem in Dominum, & deliquerit anima illa:

Fatebuntur

Fatebuntur peccatum ſuum quod fecerunt: & reſtituet delictum ſuum in ſolidum, & quintam eius partem addet ſuper illam, dabítque ei in quem peccauerit.

Eſt autem obſeruandum, quum in vno ex iis locis qui ex cap. 22, Exodi ſunt allati, dicatur, Si ortus fuerit ſol ſuper eum, erit morti obnoxius [percuſſor] inde colligi, de nocte intelligendum quod præcedit, Si in effoſſione inuentus fuerit vir, & percuſſus fuerit, mortuúſque fuerit, non erit percuſſor morti obnoxius. Quod optimè conuenit cum quibuſdam ethnicorum legibus quæ ſequuntur.

DRACONIS LEX,

Πάντες οἱ κλέψαντές τι, κἂν πάνυ σμικρὸν ᾖ, θανατούσθωσαν.

ID EST,

Omnes qui furati quidpiam fuerint, etiamſi valde exigua res ſit, morte puniantur.

SOLONIS LEX,

Εἰ μὲν τις μεθ' ἡμέραν ὑπὲρ πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτοι, ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκα εἶναι· εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα, εἰ βούλοιτο. Τῷ δ' ἁλόντι ὧν αἱ ἀπαγωγαί εἰσιν, οὐκ, ἐγγυητὰς καταστήσαντι, ἔκτισιν εἶναι τῶν κλεμμάτων, ἀλλὰ θάνατον τὴν ζημίαν.

ID EST,

Si quis interdiu ſupra quinquaginta drachmas furatus fuerit, abduci liceat ad Vndecimviros: ſin verò quis noctu quidpiam ſurripuerit, eum & occidere, &

inter perſequendum vulnerare, & ad Undecimviros, ſicui lubet, abducere fas eſto. Conuicto autem eorum facinorum propter quæ in vincula licet abripi, non liceat datis vadibus ſatisfacere pro furtis: ſed mors pœna eſto.

Cauebat SOLON *in ſequentibus de certis quibuſdam furtis: hoc modo,*

Καὶ εἴ τις γ' ἐκ Λυκείου, ἢ ἐξ Ἀκαδημίας, ἢ ἐκ Κυνοσάργους, ἱμάτιον, ἢ ληκύθιον, ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων ὑφέλοιτο, ἢ ἐκ τῶν λιμένων, ὑπὲρ δέκα δραχμάς· καὶ τούτοις θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.

ID EST,

Ac ſiquis è Lyceo, aut Academia, aut Cynoſarge, veſtem, aut lagunculam, aut quicquam aliud minimi pretij, aut aliquod vaſculum è gymnaſiis aut portubus ſurripuerit, ſupra decem drachmas: huic quoque mors pœna eſto.

Sequebatur hæc ſanctio,

Εἰ δέ τις ἰδίαν δίκην κλοπῆς ἁλοίη, ὑπάρχειν μὲν αὐτῷ διπλάσιον ἀποτῖσαι τὸ τιμηθὲν, προστιμῆσαι δὲ ἐξεῖναι τῷ δικαστηρίῳ πρὸς τῷ ἀργυρίῳ δεσμὸν τῷ κλέπτῃ, πένθ' ἡμέρας καὶ νύκτας ἴσας· ὅπως ὁρῷεν ἅπαντες αὐτὸν δεδεμένον.

ID EST,

Siquis verò priuato iudicio furti conuictus fuerit, ei licere duplum ſoluere æſtimata litis: penes verò iudices eſſe, furem, præter pecuniariam mulctam, ad quinque dierum totidémque noctium vincula damnare: vt omnes eum vinctum eſſe videant.

Quibus recitatis ſubiungit Demoſthenes, orat. in Timocratem, Cenſuit enim non oportere, eum qui rem turpem committeret, reſtitutis tantùm rapinis eſſe liberatum (quia magnum furum numerum eo quidem pacto fore putauit, ſi

furto

furto celato fruerentur, deprehenſo, tantundem duntaxat ſoluerent quantum ſuſtuliſſent) ſed cum duplum oportere ſoluere, tum in vinculis habitum, ſupra mulctam hanc, quod vitę reliquum eſſet exigere cũ infamia. Verumtamẽ paulo antè mentionem legis Solonis faciens Demoſthenes, non ſolùm τῆς διπλασίας ſed etiam τῆς δεκαπλασίας meminerat, ſcribens, Ο῞,τι ἐάν τις ἀπολέσῃ, ἐὰν μὲν αὐτὸ λάβῃ, τὴν διπλασίαν καταδικάζειν· ἐὰν δὲ μὴ, τὴν δεκαπλασίαν πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις. Qui locus nec plenus nec ſatis eſſe integer videtur. Addit autem, δεδέσθαι δ᾽ ἐν τῇ ποδοκάκῃ τὸν πόδα, πένθ᾽ ἡμέρας καὶ νύκτας ἴσας, ἐὰν προστιμήσῃ ἡ ἡλιαία.

Ex Legibvs Plat.

Νύκτωρ φῶρα εἰσιόντα ἐπὶ κλοπῇ χρημάτων ἐὰν ἑλὼν κτείνῃ τὶς, καθαρὸς ἔστω.

ID EST,

Siquis furem noctu ingreſſum ad ſurripiendas pecunias deprehendat atque interficiat, ſceleris purus ſit.

Ex Leg. Tab. xii,

Si nox furtum faxit, & im aliquis occiſit, iure cæſus eſto.

Vbi Nox (ſi mendo hæc ſcriptura caret) pro Noctu, ſicut Im pro Eum, & Occiſit pro Occiderit, priſci ſermonis conſuetudine dictum eſt. Poſſunt autem quæ ſequebantur in illa lege (vt quidem ab A. Gellio referuntur) ita adiici, ſeruata potius legiſlationis forma quàm ſermonis antiquitate vbiq;

Si luci furtum faxit, & in eo deprehenſus telo ſe defenderit, iure cæſus eſto. At, qui telo ſe non defenderit, ſi liber, verberatus, ei cui furtum fecerit, addicitor: ſi ſeruus, verberibus afficitor, atque è ſaxo præcipitator.

Verùm aliquid præterea in priore illius priſcæ legis capite fuiſſe dictum, ex ſequentibus patet.

VLPIANVS,

L.4.D. Ad legem Aquiliam.

Lex duodecim Tabularum furem noctu deprehenſum occidere permittit:vt tamen idipſum cum clamore teſtificetur.Interdiu autem deprehenſum ita permittit occidere,ſi is ſe telo defendat:vt tamen æquè cum clamore teſtificetur.

Lex illa decemviralis alia præterea habebat capita, vt cum aliunde, tum verò ex Gellio diſcimus. Addit enim ad ea quæ de pœna furũ vtriuſque conditionis dicta ſunt,Sed pueros impuberes, prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxámque ab his factam ſarciri. Ea quoque furta quæ per laucem liciúmque concepta eſſent, perinde ac ſi manifeſta forent vindicauerunt.

Quibus adiungit,Sed nunc à lege illa decemvirali diſceſſum eſt.nam ſiquis ſuper manifeſto furto iure & ordine experiri velit,actio in quadruplum datur.

Decemviralem vocat legem,quòd poſt reges exactos, à decemviris ſcriptæ in XII. tabulis fuiſſent leges illæ quibus pop.Rom.vteretur.

Cæterùm quod attinet ad primum illud caput legis decemviralis,ſeu Tab.XII,ſcriptæ longo pòſt tempore fuerũt leges aduerſus fures nocturnos in eandem illam ſentẽtiam. Ita enim is cuius & paulo quædam attuli:ita inquam,

VLPIANVS,

L.9.Ad legem Corn.de ſicariis.

Furem nocturnum ſiquis occiderit,ita demum impunè feret ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit.

Morte punitos fuiſſe fures,quoſdam ſaltem(pro qualitate furti) diſcimus & ex eo quòd legimus dixiſſe quiddam Democratem cuidam furi qui ab vndecimviris abducebatur. Legimus enim apud Stobæum,

Δημοκράτης ἰδὼν κλέπτην ὑπὸ τῶν ἕνδεκα ἀπαγόμενον, Ἄθλιε, (εἶπε)

(εἶπε) τί γὰρ τὰ μικρὰ ἔκλεπτες, ἀλλ᾽ οὐ τὰ μεγάλα, ἵνα καὶ σὺ τοὺς ἄλλους ἀπήγες;

Id eſt,

Democrates furi, quem ab vndecimviris abduci videbat, Miſer (dixit) cur parua furatus es, ac non potius magna, vt tu quoque alios abduceres?

Abduci autem & Abducere intelligenda ſunt de iis qui abducuntur & abducunt ad luendam capitis pœnam: aut breuius, ad mortem.

Capitale fuiſſe Phrygibus furtum inſtrumẽti ruſtici quidam apud eundem Stobæum ſcribit.

Apud eundem refert Nicolaus Damaſcenus moris fuiſſe apud Lycios, vt qui liber eſſet, poſtquam in furto deprehenſus fuiſſet, ſeruus fieret.

Quod verò ad pœnas attinet quarum in iure ciuili fit mentio, nouiſsima eſt quæ à Iuſtiniano ſtatuitur Authentica 134, cap. 13, his verbis,

Pro furto autem nolumus omnino quodlibet membrum abſcindi, aut mori: ſed aliter eum caſtigari.

Sed malè interpres hìc dixit, Nolumus omnino quodlibet membrum abſcindi: perinde acſi Iuſtinianus vellet quidem membrum aliquod abſcindi, verùm non quodlibet: quũ intelligat contrà, nullum debere membrum abſcindi. Hæc ſunt enim Greca eius verba, Ὑπὲρ κλοπῆς δὲ οὐ βουλόμεθα παντελῶς οἱονδήποτε μέλος τέμνεσθαι, ἢ ἀποθνήσκειν. Debuit igitur ille interpretari, Nolumus vllum omnino membrum abſcindi. Vel, Nolumus membrum vllum, qualecunque ſit, abſcindi.

Platonem in lege qua vnicuique furem occidere permittit quem noctu domum ſuam ingreſſum deprehenderit, ſicut cum aliis quibuſdam legiſlatoribus conſentire oſtendi (quum alioqui conditionem adiiciat Vlpianus: ſcribens, Furem nocturnum ſiquis occiderit, ita demum impunè ferret, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit) ita etiã in conſtituenda generali furti pœna, illi cum Solone conuenire ſciendum eſt. Hæc enim ſunt eius verba, De leg. lib. IX,

Κλέπτῃ δὲ, ἐάν τε μέγα ἐάν τε σμικρὸν κλέπτῃ τὶς, εἷς αὖ νόμος κείσθω, καὶ μία δίκης τιμωρεία ξύμπασι. τὸ μὲν γὰρ κλαπὲν δὴ χρεὼν διπλάσιον πρῶτον ἐκτίνειν, ἐὰν ὄφλῃ τὶς τὴν τοιαύτην δίκην, καὶ ἱκανὴν ἔχῃ τὴν ἄλλην οὐσίαν ἀποτίνειν, ὑπὲρ τοῦ κλήρου. ἐὰν δὲ μὴ, δεδέσθαι ἕως ἂν ἐκτίσῃ, ἢ πείσῃ τὸν καταδικασάμενον.

ID EST,

Furibus autem, ſiue rem magnam ſiue paruam furentur, vna lex aduerſus omnes atque pœna ſtatuta ſit. Quod enim furto ablatum fuerit, duplum rependere primùm oportet, ſiquis damnatus ſit furti, & quæ ſuperſunt ei vltra ſortem facultates, ad rependendum illud ſufficiant. Alioqui in vinculis eſſe, donec perſoluerit, aut cum eo qui iudiciũ obtinuit aduerſus ipſum, tranſegerit.

Verto autem quaſi ſcriptum eſſet ὑπὲρ τὸν κλῆρον, vt certè non dubito quin legendum ſit. Quid verò κλῆρον hoc loco vocet Plato, (quod non ſatis commodè Latina ſortis appellatione reddi hîc videtur) proximæ præcedentes illius paginæ docebunt.

DE FVRTIS QVIBVSDAM QVÆ GRAVIVS PVNIVNTVR.

Furta quædam ſunt, ſiue quædam furtorum genera, quæ grauius quàm cætera puniuntur. Ex his ſunt Furtum domeſticum, Furtum publicum (quod vno verbo Peculatus nominatur: ſic tamen vt etiam Repetundæ ſint furtum publicum) Furtum rei ſacræ: quod vna itidem voce Sacrilegium dicitur.

MAR-

MARTIANVS,

Furta domeſtica vocantur quæ ſerui dominis, vel liberti patronis, vel mercenarij iis apud quos degunt, ſubripiunt.

Hæc autem apud eum proximè præcedunt.

Furta domeſtica, ſi leuiora ſunt, publicè vindicanda non ſunt: nec admittenda eſt huiuſmodi accuſatio, quum ſeruus à domino, vel libertus à patrono, in cuius domo moratur, vel mercenarius ab eo cui operas ſuas locauerat, offeratur quæſtioni. *Quibus ſubiunguntur ea quæ proximè præcedunt,* Nam furta domeſtica, ſi leuiora ſunt. *vel (vt in aliis legitur libris)* ſi viliora ſunt, publ. &c. *Idémque aliis verbis & alibi dicitur.*

Eo grauius alioqui animaduerti in domeſtica furta ſolet, quo minus ab iis cauere nobis poſſumus.

Publicum autem furtum, id eſt, furtum pecuniæ publicæ, vna voce (vt dictum eſt) Peculatus appellatur. Græci κλοπὴν τοῦ δημοσίου, *vel* δημοσίων χρημάτων κλοπὴν *vocant. Plato illi de furto priuato legi quam aliquanto antè retuli, (cuius initium eſt,* Κλέπτῃ, ἐάν τε μέγα ἐάν τε σμικρὸν κλέπτῃ τὶς, *&c.) ſubiungit hanc de publico,*

Ἐὰν δέ τις ὄφλῃ κλοπῆς δημοσίᾳ δίκην, πείσας τὴν πόλιν, ἢ τὸ κλέμμα ἐκτίσας διπλοῦν, ἀπαλλαττέσθω τῶν δεσμῶν.

Sed apud Rom. grauius puniebantur qui peculatus erant damnati: & nonnullis quidem pecuniaria, verùm quibuſdam capitalis pœna imponebatur. Qua de re lege iuriſconſultos: ex quibus diſces etiam quouſque huius vocabuli ſignificatio extendatur.

De repetundis eoſdem lege.

At verò aduerſus ſacrilegium ſanctio in ſacris literis extat:

IOSVAE VII,

Peccauit Iſrael, & etiam tranſgreßi ſunt pactum meum quod præceperam eis, & etiam acceperunt de anathemate, & etiam furati ſunt, & etiam mentiti ſunt: & etiam poſuerunt inter vaſa ſua.

Ideo non poterunt filij Iſrael ſtare coram inimicis ſuis: ceruicem vertent coram inimicis ſuis, quia fuerunt in anathemate. Non addam eſſe vobiſcum, niſi diſperdatis anathema è medio veſtri.

Surge, præpara populum: & dicas, &c.

EX PLAT. LEG.

Ὃς ἂν ἱεροσυλῶν ληφθῇ, ἐὰν μὲν ᾖ δοῦλος ἢ ξένος, ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ γραφεὶς τὴν συμφοράν, καὶ μαστιγωθεὶς ὁπόσας ἂν δόξῃ τοῖς δικασταῖς, ἐκτὸς τῶν ὅρων τῆς χώρας γυμνὸς ἐκβληθήτω.

ID EST,

Qui deprehenſus in ſacrilegio fuerit, ſi quidem ſeruus ſit aut peregrinus, illi in facie & manibus monumenta calamitatis huius inurantur: deinde tot plagis verberatus quot viſum fuerit iudicibus, nudus extra regionis fines eijciatur.

Poſtea verò & in ciuem pœnam ſtatuit: ſed ſacrilegij appellationem longius in eo extendens, ſequendo quidem certè omnes interpretes: quos ab illius loci deprauatione in errorem impulſos exiſtimo. Ea autem quomodo corrigenda, mutatione parua, mihi videatur, alius erit dicendi locus.

Cæterùm

Cæterùm & illa verba ὃς ἂν ἱεροσυλῶν ληφθῇ, aliter etiam verti poſſe videntur.

EX LEG. TAB. XII,

Sacrum ſacróve commendatùm qui clepſit rapſítque, parricida eſto.

PAVLVS,

L. 9. D. Ad legem Iuliam peculatus, & de ſacrilegijs.

Sacrilegi capite puniuntur. Sunt autem ſacrilegi qui publica ſacra compilauerunt. At qui priuata ſacra, vel ædiculas incuſtoditas tentauerunt: amplius quàm fures, minus quàm ſacrilegi, merentur.

VLPIANVS,

L. 6. tit. eod.

Sacrilegij pœnam debebit proconſul, pro qualitate perſonæ, próque rei conditione, & temporis, & ætatis, & ſexus, vel ſeuerius vel clementius ſtatuere. Et ſcio, multos & ad beſtias damnaſſe ſa crilegos: nonnullos, etiam viuos exuſſiſſe: alios ve rò, in furca ſuſpendiſſe. Sed moderanda pœna eſt vſque ad beſtiarum damnationem, eorum qui ma nu facta templum effregerunt, & dona Dei noctu tulerunt. Cæterùm ſiquis interdiu modicum aliquid de templo tulit, pœna metalli coercendus eſt: aut, ſi honeſtiore loco natus ſit, deportandus in inſulam eſt.

SANCTIO ADVERSVS FVRTVM QVOD FIT INFICIANDO DEPOSITVM.

EXODI XXII,

QVm dederit quiſpiam proximo ſuo argentum vel vaſa ad cuſtodiendum, & furto ablatum fuerit è domo viri illius: ſi inuentus fuerit fur, reddet duplum.

Si non inuentus fuerit fur, tunc applicabitur dominus domus ad iudices, iuraturus annon miſerit manum ſuam in ſubſtantiam proximi ſui.

Super omni re præuaricationis, ſuper boue, ſuper aſino, ſuper pecude, ſuper veſtimento, ſuper omni re amiſſa, quam dixerit [quiſpiam] hoc eſſe: vſque ad iudices veniet cauſa vtriuſque: is quem condemnauerint iudices, reddet duplum proximo ſuo.

Si dederit quis proximo ſuo aſinum, vel bouem, vel pecus, aut quodcunque aliud animal ad cuſtodiendum, & mortuum fuerit, aut cõfractum, aut ab hoſtibus abductum, nemine vidente:

Iuramentum Domini erit inter vtrunque, annon miſerit manum ſuam in ſubſtantiam proximi ſui: & ſuſcipiet [iuramentum] dominus eius, & non reddet.

Quòd ſi furando furtum ablatum fuerit ei, reddet

det domino eius.

Si verò rapiendo raptum fuerit, adducet illi teſtem, raptum non reddet.

PISIDARVM LEX,

Ὁ ἀποστερήσας τὴν παρακαταθήκην, θανάτῳ ζημιούσθω.

ID EST,

Qui interuerterit depoſitum, pœna capitis plectatur.

vel, *Qui fraudauerit aliquem depoſito.*

PITTACI, *qui è ſeptem ſapientibus fuit vnus, affirtur hoc inter alia præceptum*, Παρακαταθήκην λαβὼν, δικαίως ἀπόδος. *id eſt, Depoſitum quod acceperis, iuſtè reddito. Quod verò legimus apud Platonem à quodam legiſlatore præceptum, (ſiquidem* νομοθέτημα *vocat)* Ἃ μὴ κατέθου, μὴ ἀνέλῃ, *malè quidam ad depoſitum reſtringunt, quum Plato non loquatur de re quam quis apud amicum depoſuerit, ſed generalius de theſauro, aut quibuſlibet rebus quas certo quiſpiam in loco, vbi tutas fore ſperabat, poſuerit. Neque certè in toto illo Platonis ſermone extat vox hæc* παρακαταθήκη, *quæ reſpondet Latinæ illi Depoſitum.*

Depoſitum autem non reddere, Depoſitum inficiari, ſeu abnegare, olim pro turpiſsimo & maximè deteſtando furto habebatur. Hinc fit vt poetæ id pro ſummæ iniuſtitiæ exemplo afferant. Legitur enim (vt quendam Claudiani, quendam alius etiam poetę locum taceam) apud Naſonem,

Reddite depoſitum, pietas ſua fœdera ſeruet:
Fraus abſit: vacuas cædis habete manus.

Non fuiſſe tamen rarum hoc ſcelus, vel ex Iuuenale diſci poteſt: Satyra 13,

Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,

Prodigioſa fides, & Thuſcis digna libellis,
Quæq; coronata luſtrari debeat agna.

Scripta eſt autem ſatyra illa cuidam Caluino, in quem quiſpiam ex eius amicis hoc ſcelus admiſerat.

ADVERSVS PLAGIARIOS.

EXODI XXI,

QVI autem furatus fuerit aliquem, vẽdideritque illum, & inuentus fuerit in manu eius: moriendo moriatur.

DEVTER. XXIIII,

Si deprehenſus fuerit aliquis qui furatus fuerit animam è fratribus ſuis, è filijs Iſrael, & negotiatus fuerit cum eo, aut vendiderit eum: morietur fur ille, & auferes malum è medio tui.

VLPIANVS,

L.1.D. Ad legem Fabiam de plagiarijs.

Si liberum hominem emptor ſciens emerit, capitale crimen aduerſus eum ex lege Fabia de plagio naſcitur. Quo venditor quoque fit obnoxius, ſi ſciens liberum eſſe, vendiderit.

CAIVS,

L. 4. tit. eodem.

Lege Fabia tenetur qui ſciens liberum hominem donauerit, vel in dotem dederit. Item, qui ex earum qua cauſa, ſciẽs liberum eſſe, acceperit, in eadem cauſa haberi debet qua venditor & emptor habetur. Idem eſt etiam, ſi pro eo res permutata fuerit.

ADVER-

ADVERSVS EOS QVI NON IVSTIS PONDERIBVS AVT menſuris vtuntur.

LEVIT. XIX,

NOn facietis iniquitatem in iudicio, in menſura [magna] in pondere, & in menſura [parua.]

Statera iuſta, pondera iuſta, epha iuſtum & hin iuſtum erit vobis. ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos è terra Ægypti.

DEVT. XXV,

Non erit tibi in loculo tuo pondus & pondus, maius & minus.

Non erit tibi in domo tua modius & modius, maior & minor.

Pondus perfectum & iuſtum erit tibi, modius perfectus & iuſtus erit tibi: vt prolongent dies tuos ſuper terram quam Dominus Deus tuus dat tibi:

Quia abominatio Domini Dei tui eſt quicunque facit hæc, omnis faciens iniquitatem.

ÆGYPTIORVM LEX *multo latius extendebatur. ea enim lege conſtituta pœna erat non ſolùm aduerſus eum qui falſa pondera feciſſet, verumetiam in illum qui nummos adulterinos cudiſſet, vel ſigilla aliena ſculpendo effinxiſſet: item aduerſus ſcribas qui falſos contractus ſcripſiſſent, aut aliquid eorum quæ ſcripta*

erant ademiſſent, necnon eos qui falſas ſyngraphas proferrent. Erat autem pœna vt ambæ illis manus abſcinderentur.

GRAECI *quoque capite plectebant eos qui monetam adulterabant, vt teſtatur Demoſth. oratione in Timocratem, & in fine orationis in Leptinem.*

VLPIANVS,

L. 6. D. De extraord. criminibus.

Onerant annonam etiam ſtateræ adulterinæ, de quibus diuus Traianus edictum propoſuit, quo edicto pœnam legis Corneliæ in eos ſtatuit: perinde acſi lege teſtamentaria, quòd teſtamentum falſum ſcripſiſſent, ſignaſſent, recitaſſent, damnati eſſent. Sed & diuus Hadrianus eum qui falſas menſuras habuit, in inſulam relegauit.

PAVLVS,

L. 37. tit. eodem.

In dardanarios, propter falſum menſurarum modum, ob vtilitatem popularis annonæ, pro modo admiſsi extra ordinem vindicari placuit.

MODESTINVS,

L. penult. D. Ad legem Corneliam de falſis.

Si venditor menſuras publicè probatas, vini, frumenti, vel cuiuſlibet rei, aut emptor corruperit, dolóve malo fraudem fecerit: quãti ea res eſt, eius duplo condemnatur: decretóque diui Hadriani præceptum eſt, in inſulam eos relegari qui pondera aut menſuras falſaſſent.

ADVER-

ADVERSVS TERMINORVM MOTORES.

DEVT. XIX.

Non apprehẽdes terminum proximi tui, quem terminauerũt priores in hæreditate tua, quam poſſidebis in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi vt poſſideas eam

EX LEG. PLAT.

Μηδεὶς ἑκὼν κινείτω γῆς ὅρια γειτόνων· ὃς δ' ἂν κινήσῃ, μηνυέτω μὲν ὁ βουλόμενος τοῖς γεωμόροις, οἱ δὲ εἰς τὸ δικαστήριον ἀγόντων. ἂν δέ τις ὄφλῃ τὴν τοιαύτην δίκην, ὡς ἀνάδαστον γῆν λάθρᾳ καὶ βίᾳ ποιοῦντος τοῦ ὄφλοντος, τιμάτω τὸ δικαστήριον ὅ, τι ἂν δέῃ πάσχειν ἢ ἀποτίνειν τὸν ἡττηθέντα.

IDEST,

Nequis volens & ſciens terminos agri ſuorum vicinorum moueat. Eum qui mouerit, deferat ad agrorum præfectos: hi illum in iudicium vocent. In cõuictum autem pœnã ſtatuant iudices, quam meretur qui clam & vi agros iam diuiſos, ſuo diuidere modo velit.

NVMAE LEX,

Qui terminũ exaraſsit, ipſius boues ſacri ſunto.

LEX ALIA TAB. XII,

Qui ſepem vel maceriam iuxta alterius regionem effoderint, terminum ne excedunto.

PAVLVS,

Lib.5. Sentent. Apud Frontinum De limitibus.

Qui terminos effodiunt, vel exarant arbores, vel terminales ſubuertunt, ſi quidē ſerui ſua ſponte faciunt, in metallum damnabuntur: humiliores, in opus publicum: honeſtiores, in inſulam, amiſſa tertia parte bonorum, relegabuntur.

CALLISTRATVS,

L. 2. De termino moto.

Diuus Hadrianus in hęc verba reſcripſit. QVIN peſsimum factum ſit eorum qui terminos finium cauſa poſitos propulerunt, dubitari non poteſt. De pœna tamen modus ex conditione perſonæ & mente facientis magis ſtatui poteſt. Nam ſi ſplendidiores perſonæ ſunt quæ conuincuntur, non dubiè occupandorum alienorum finium cauſa id admiſerunt: & poſſunt in tempus, vt cuiuſque patietur ætas, relegari: id eſt, ſi iuuenior, in longius: ſi ſenior, reciſius. Si verò alij negotium geſſerunt, & miniſterio functi ſunt, caſtigari, & ad opus biennio dari. Quòd ſi per ignorantiam aut fortuitò lapides furati ſunt, ſufficiet eos verberibus cædere.

ADVERSVS ABIGEOS:
ITEM ADVERSVS EOS QVI ALIA DAMNA AGRICOLIS INFERVNT.

EXODI XXII,

QVum furatus quis fuerit bouem, aut pecudem, & iugulauerit eum, aut vēdiderit illum, quinque

quinque boues reddet pro illo boue, & quatuor pecudes pro pecude illa.

Quæ tamen verba fuerunt & prius allata, in generali furti prohibitione: ſed hîc reſpicitur ad abductionem. atque adeo quidam non dubitarunt interpretari, *Siquis bouem abduxerit.*

VLPIANVS,

L.1. De abigeis.

De abigeis puniendis ita diuus Hadrianus conſilio Bæticæ reſcripſit. Abigei, quum duriſsimè puniuntur, ad gladium damnari ſolent. Puniuntur autem duriſsimè non vbique, ſed vbi frequentius eſt id genus maleficij. Alioquin & in opus, & nonnunquam temporarium, dantur.

Harmenopulus lib. 6. tit. 5, ſcribit, abigeos, ſi ſemel id fecerint, verberari: ſi ſecundò, relegari: ſi tertiò, manus illis truncari, poſt reſtitutum etiam gregem.

EXODI XXII,

Si depaſci fecerit aliquis agrum, vel vineam, & immiſerit iumentum ſuum, paueritque in agro alterius: bonitatem agri ſui & bonitatem vineæ ſuæ reddet.

EX LEG. PLAT.

Ἐάν τις βοσκήματα ἐπινέμῃ, τὰς βλάβας ὁρῶντες, κρινόντων καὶ τιμώντων.

Quæ Marſilius Ficinus, tanquam aliud verbum quàm ἐπινέμῃ agnoſcens, ita vertit,

Siquis paſcuis noceat, illi, conſideratis damnis iudicent atque condemnent.

Dixerat autem paulo antè Plato hæc quoque, ad hunc de damnis ſermonem pertinentia,

Quicunque, fines ſuos tranſgreſſus, vicini agros coluerit, non modò damnum ſarciat, ſed etiam duplum eius quanti æſtimatum eſt, pendat illi cui nocuit.

EX LEG. TAB. XII,

Frugem aratro quæſitam furtim noctu ſi ſecuerit pubes, ſuſpenſus Cereri necator: impubes verberator, noxiámque duplionémque præſtato.

EX IISDEM LEG.

Si quadrupes pauperiem fecerit, ei cuius intererit, aduerſus eum qui dominus erit quadrupedis, actio noxalis eſto.

Nam hanc legem quidam huc quoque pertinere putant.

EX IISDEM,

Qui malum carmen excantaſsit, frugéſve excantaſsit vrbe eiicitor.

Sed ab aliis aliter hæc ſcribuntur & à nonnullis hæc tantùm integra eſſe exiſtimantur, (manente imperfecta ſententia) Qui fruges excantaſsit.

Adduntur & hæc,

Néve alienam ſegetem pellexeris.

Pro quibus hæc à quibuſdam ſcribuntur,

Ne pelliciunto alienas ſegetes excantando.

Verùm Seruius in hunc Virgilij verſum, *Atque ſata aliò vidi traducere meſſes*, non hæc ſed illa ex XII. tabulis affert.

Ad damna ruſtica (ſi ita vocare licet) quæ quidem iniuria ſunt data, pertinent & quæ ſequuntur.

EXODI

EXODI XXI,

Quum egreſſus fuerit ignis, & inuenerit ſpinas, abſumptuſque fuerit aceruus, vel ſeges, vel ager: reddendo reddet qui ignem accenderit, combuſtionem.

PAVLVS,

L. 30. §. In hac quoque actione. D. Ad legem Aquiliam.

Siquis ad ſtipulam ſuam vel ſpinam, comburendæ eius cauſa, ignem immiſerit, & vlterius eua gatus ac progreſſus ignis, alienā ſegetem vel vineam læſerit: requiramus num imperitia eius aut negligentia id accidit. Nam ſi die ventoſo id fecit, culpæ reus eſt. Nam & qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur. In eodem crimine eſt & qui non obſeruauit ne ignis longius procederet. At ſi omnia quæ oportuit obſeruauit, vel ſubita vis venti longius ignem produxit, caret culpa.

EXODI XXI,

Si quis aperuerit ciſternam & foderit, & non operuerit eam: cecideritque bos aut aſinus in eam: Reddet dominus ciſternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit.

PAVLVS,

L. Qui foueas. 28. D. Ad legem Aquiliam.

Qui foueas vrſorum ceruorumque capiendorum cauſa faciunt, ſi in itineribus fecerunt, eó-

que aliquid decidit, factúmque deterius eſt, lege Aquilia obligati ſunt: at ſi in alijs locis, vbi fieri ſolent, fecerunt: nihil tenentur.

LEGES

ADVERSVS GRASSATORES, SEV latrones, aut prædones.

LEGES *quæ aduerſus fures latæ fuerunt, ab ijs quæ in graſſatores, latrones ac prædones, diſtinguendas cenſui: ſicut diuerſa eſſe illorum maleficia, cum aliunde, tum verò ex his Iuſtiniani verbis ſciri poteſt: Conſtitut. noua, 134.*

Fures autem vocamus qui occultè & ſine armis huiuſmodi delinquunt.

Quibus tamen verbis ambiguitas ſubeſt, quum vox *huiuſmodi* cuipiam cum proximè præcedente *armis* iungenda poſsit videri. qua in re falletur: vt hæc Gręcà illius verba oſtendunt, Κλέπτας δὲ καλοῦμεν τοὺς λάθρα καὶ ἄνευ ὅπλων τὰ τοιαῦτα πλημμελοῦντας.

Plato poſtquam dixit (in eo quem antea citaui loco) ſceleris purum fore, illum, (vel impollutum) qui interfecerit κλέπτην, id eſt furem, noctu domum ſuam ingreſſum, ad furandas pecunias: addit, καὶ ἐὰν λωποδύτην ἀμυνόμενος ἀποκτείνῃ, καθαρὸς ἔστω.

Iuſtinianus furum quidem pœnam vult minui, at non itidem latronum.

Graſſatorum appellatio non tam malè ſonat quàm latronum: vt colligere eſt è verbis Modeſtini, L. 28. §. Graſſatores. D. De pœnis.

Graſſatores qui prædæ cauſa id faciunt, proximi la-

mi latronibus habentur: & , ſi cum ferro aggredi & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur: vtique ſi ſæpius atque in itineribus hoc admiſerunt. cæteri in metallum dantur, vel in inſulas relegātur.

Quum enim latronibus proximos eſſe dicit, latrones omnino eſſe non dicit.

Græcis ſicut fures ſunt κλέπται, ita latrones, λῃσταί. quod tamen magis ad verbum ſonat Prędones. At Plato λωποδύτην in eo quem modò citaui loco dixit. cui quod reſpondeat nihil habent Latini.

Præter illa autem omnia vocabula, habemus etiam Aggreſſorem, necnon Populatorem nocturnum, in Codice.

EXODI XX, & DEVT. V,

NE loquaris aduerſus proximum tuum teſtimonium falſum. [*vel*, teſtimonium mendacij.]

LEVIT. XIX,

Quum ſteterit teſtis mendax contra aliquem, vt teſtificetur contra eum verbum peruerſum,

Tunc ſtabunt duo illi homines quibus eſt lis, coram Domino: [id eſt] coram ſacerdotibus & iudicibus qui erunt in diebus illis:

Et inquirent iudices diligenter: &, ſi teſtis ille eſt teſtis mendax, mendacium teſtificatus eſt contra fratrem ſuum.

Facietis ei quemadmodum cogitauit facere fratri ſuo: & [ita] auferes malum è medio tui.

• Ex leg. Platonis,

Ἐάν τις ἁλῷ δὶς ψευδομαρτυρῶν, τοῦτον μηκέτι νόμος ἀναγκαζέτω μηδεὶς μαρτυρεῖν. ἐὰν δὲ τρὶς, μηκέτ' ἐξέστω τούτῳ μαρτυρεῖν. ἐὰν δὲ τολμήσῃ μαρτυρῆσαι, τρὶς ἑαλωκὼς, ἐνδεικνύτω μὲν πρὸς τὴν ἀρχὴν ὁ βουλόμενος αὐτόν· ἡ δ' ἀρχὴ δικαστηρίῳ παραδότω. ἐὰν δὲ ὄφλῃ, θανάτῳ ζημιούσθω.

ID EST,

Siquis falſum teſtimonium bis dixiſſe comperiatur, nulla hunc lex amplius teſtem eſſe cogat. At ſi ter, ne amplius ei teſtimonium ferre liceat. Quòd ſi auſus fuerit ferre, quum ter compertus ſceleris illius fuerit, eum quicunq; volet, ad magiſtratum deferat, Magiſtratus autem iudicio eum tradat: vbi conuictus, morte mulctetur.

At ſanctio Tab.XII.longè ſeuerior,

Qui falſum teſtimonium dixerit, è ſaxo Tarpeio deiicitor.

Pavlvs,
L.16. D. De teſtibus.

Qui falſò vel variè teſtimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt, à iudicibus competenter puniuntur.

Imp. Zeno, *Ad l.*

Qui falſa in teſtimonio protulerit, primùm quidem de periurio, deinde falſi crimine conuenitur.

Porro

Porro quemadmodum vni teſti fidem adhiberi lex diuina non vult, ita etiam nolunt ea quas in Iure ciuili habemus leges.

EXTENSIO

ADVERSVS EOS QVI FAMAM ALTERIVS LAEDVNT.

EXODI XXIII,

NE aſſumito rumorem falſum mendacii: ne ponas manum tuam cum impio, vt ſis teſtis mendax.

Arnob. ex Cicerone, lib. 4. De republ.

Siquis occentauerit, actitauerit, ſiue carmen condiderit quod infamiam flagitiúmve alteri precetur, inteſtabilis eſto.

SIC ET VLP.

L. 5. §. Siquis lib. D. De iniuriis & famoſis libellis.

Siquis librum ad infamiam alicuius pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolóve malo fecerit quo quid eorum fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine: vti de ea re agere liceat: &, ſi condemnatus ſit qui id fecit, inteſtabilis ex lege eſſe iubetur.

EXODI XX, ET DEVT. V,

NE concupiſcito domum proximi : ne concupiſcito vxorem proximi tui, neque ſeruum eius, neque ancillam eius : neque bouem eius, neque aſinum eius, nec rem vllam proximi tui.

Ceſſant hîc (vt iuriſconſultorum verbo vtar) omnes illæ præclaræ leges è quorũ variis capitibus varia protuli, quæ eſſe velut riuos ex illis diuinis fontibus fluẽtes (quanuis non perinde vbique illimes) oſtẽdi. Aliquem tamen ex hoc itidem fonte manantem riuulum inuenturum me ſpero: quod ſi contingat, minimè lectori in præfatione celaturum, promitto.

EX PAPIN. PAVLI, VLP. CAII, MODEST. INTEgris libris, aliorúmque veterum iuris autorum,

COLLATIO LEGVM MOſaycarum & Romanarum, ante Iuſtiniani imp. ætatem inde ſumpta.

INCIPIT LEX DEI QVAM DEVS PRÆCEPIT AD MOYSEN.

MOYSES DEI SA- 1.
CERDOS HÆC DI-
CIT. * *Si quis percuſſerit* Num. 35.
hominem ferro, & occiderit
eum, morte moriatur. Sin autem manu lapi-
deve quo mori poſsit, percuſſerit, & mor-
tuus fuerit, homicida eſt: morte moriatur. Si
autem per inimicitiam impulerit eum, vel
inmiſerit ſuper eũ aliquod vas ex inſidijs,
& mortuus fuerit: vel per iram percuſſerit
eum manu & mortuus fuerit: morte mo-
riatur.

PAVLVS *quoque libro quinto Sententiarum, ſub titulo ad Legem Corneliam de ſicariis & veneficis, dicit.*

LEX Cornelia pœnam deportationis infligit ei qui hominem occiderit, eiuſque rei cauſa, fur-

tive faciendi, cum telo fuerit: & qui venenum hominis necandi cauſa habuerit, vendiderit, parauerit, falſúmve teſtimonium dixerit quo quis periſſet, mortiſve cauſam præſtiterit. Quæ omnia facinora in honeſtiores pœna capitis vindicari placuit: humiliores verò aut in crucem tollūtur, aut beſtiis ſubiiciuntur.

VLPIANVS

Libro 7. de officio Proconſulis, ſub titulo De ſicariis & veneficis,

CAPITE primo legis Corneliæ de ſicariis cauetur, VTIS PRÆTOR iudéxve quæſtionis, cui ſorte obuenerit quæſtio de ſicariis, eius quod in vrbe Roma propius mille paſſus factū ſit, vti quærat cum iudicibus qui ei ex lege ſorte obuenerint, de capite eius qui cum telo ambulauerit, hominis necandi furtiue faciendi cauſa, hominemve occiderit, cuius id dolo malo factum fuerit. & reliqua.

Relatis verbis legis, modò ipſe loquitur Vlpianus.

Hæc Lex non omnem qui cum telo ambulauerit, punit: ſed eum tātum qui hominis necandi, furtive faciendi cauſa telū gerit, coercit, compeſcit. Item eum qui hominem occidit, coercit. nec adiecit cuius conditionis hominem: vt & ad ſeruum & peregrinū pertinere hæc lex videatur.

ITEM PAVLVS

Libro quo ſupra & titulo, dicit.

HOMICIDA eſt, qui aliquo genere teli hominem occidit, mortiſve cauſam præſtitit.

ITEM *de caſualibus homicidis* MOYSES *legaliter dicit.*

SI AVTEM non per inimicitias inmiſerit ſuper eum aliquod vas non inſidians, vel lapidem quo moriatur, non per dolum, & ceciderit ſuper eum, & mortuus fuerit: ſi neque inimicus eius, neque quæſierit malefacere ei: iudicabitis inter eum qui percuſſerit, & proximum mortui, ſecundum iudicia hæc, & liberabitis percuſſorem. Num. 35.

VLPIANVS

Libro & titulo qui ſupra relati,

DISTINCTIONEM caſus & voluntatis in homicidio ſeruari, reſcripto Hadriani confirmatur. Verba reſcripti. ET QVI hominē occidit, abſolui ſolet, ſcilicet ſi nō occidēdi animo id admiſit: & qui nō occidit, ſed voluit occidere, pro homicida damnatur. E re itaque conſtituendū eſt * ex quo ferro percuſſit ipſa funditus. Nam ſi gladium inſtrinxit, aut telo percuſſit, quid dubiū eſt quin occidendi animo percuſſerit? Sic lapide percuſſit, aut cucuma, aut cum forte rixaretur, ferro percuſſit, ſed non occidendi mente. Ergo hoc exquirite, & [a] ſi volūtas occidendi fuit, vt homicidam ſeruum ſupplicio * cum iure iubete affici.

[a] *For.* vt homicidam ſeruum ſupplicio maiore iubete affici. *Vel,* vt homicidij reū ſupplicio maiore iubete affici.

PAVLVS

Libro quinto, titulo quo ſupra.

Qvi hominem occidit, aliquando abſoluitur: & qui non occidit, vt homicida damnatur, Conſilium enim vniuſcuiuſque, non factum puniendum eſt. Ideoque qui cum vellet occidere, caſu aliquo perpetrare non potuit, vt homicida punitur: & is qui caſu teli hominem imprudenter ferierit, abſoluitur. Quod ſi in rixa percuſſus homo fuerit, quoniam ictus quoque ipſos contra vnumquemque contemplari oportet, ideo humiliores in ludum aut in metallum damnantur, honeſtiores dimidia parte bonorum multati relegantur.

ITEM GREGORIANVS

Libro 4. ad legem Corneliam de ſicarijs & veneficis, talem conſtitutionem ponit.

IMPERATOR Antoninus A. Aurelio Herculano & aliis militibus. FRATER veſter rectius fecerit ſi ſe prȩſidi prouinciȩ obtulerit. cui ſi probauerit non occidendi animo Iuſtam à ſe percuſſam eſſe, remiſſa homicidij pœna, ſecundum diſciplinam militarem ſententiam proferet. Propoſita prid. Kl. Febr. Lœto II. Cons.

ITEM GREGORIANVS

Eodem titulo & libro talem conſtitutionem ponit.

IMP. Alexander Aurelio Fauio, & aliis militibus. SI modo pro quo libellum dediſtis, non dolo præſtitit, mortem minime perhorreſcat. Crimen quippe ita contrahitur ſi & voluntas occidendi intercedat. Ceterùm ea quæ ex inprouiſo caſu potius quam fraude accidunt, fato plerumque non noxȩ inputantur. Prop. XIII. Kl. Aug. Alexandro Cons.

ITEM

ITEM GREGORIANVS

Eodem libro & titulo tale reſcriptum dedit.

* quod ſi dñm *. Habe Agato KN. Qualitas precum IulI Antonini clementiam noſtram facilè commouit: quippe quod aſſeueret homicidium ſe non voluntate ſed caſu fortuito feciſſe, cum calcis ictu mortis occaſio præbita videatur. Quod ſi ita eſt, neque ſuper hoc ambigi poterit, omni eum metu ac ſuſpicione quod ex admiſſi diſcrimine ſuſtinet, ſecundum id quod adnotatione noſtra comprehẽſum eſt, volumus liberari.

Dat. prid. Kl. Dec. Dioclitiano A. IIII. & Maximiano Conss.

VLPIANVS

Libro & titulo quo ſupra.

CVM quidam per laſciuiam cauſam mortis præbuiſſet, comprobatum eſt factum Taurini EgnatI Proc. Bæticę à Diuo Hadriano, quod eum in quinquennium relegaſſet. Verba Conſultationis & reſcripti ita ſe habent * em *. Inter Clodium, optime Imperator, & Euariſtum,[a] cognouit, quod Clodius Lupi filius in cõuiuio dum ſago iactatur, culpa Marij Euariſti ita male acceptus fuerit, vt poſt diem quintum moreretur. Ad quę apparebat nulla inimicitia cum Euariſti fuiſſet nec cupiditatis culpam coercendum [b] credidit, vt ceteri eiuſdem ætatis iuuenes emendarentur. Ideoq; Mario Euariſto vrbe [c] Italia prouincia Bæticæ in quinquennium [d] interdixit: decreuit & impendi cauſa duo milia patri eius perſolueret Euariſtus, quod manifeſta eius fuerat paupertas, vel ręs. Verba reſcripti. Pœnã MarI Eua-

[a] For. cognoui.

[b] For. credidi.

[c] For. Italica.

[d] For. interdixi: decręui.

riſti recte E G N. Taurine moderatus es ad modum culpæ. Refert enim & in maioribus delictis, conſultò aliquid admittatur, an caſu. Et ſanè in omnibus criminibus diſtinctio hæc pœnam aut * iuſtitiam prouocare debet, aut temperamentum admittere.

For. iuſtam.

MODESTINVS

Libro differentiarum ſexto, ſub titulo de ſcientibus & ignorantibus, generaliter loquitur.

NONNVNQVAM per ignorantiam delinquentibus, iure ciuili venia tribui ſolet, ſi modò rem facti quis, nō iuris, ignoret: quæ ſcilicet conſilio delinquentibus præſtari non ſolet. Propter quod neceſſarium eſt, addita diſtinctione conſiderare vtrum ſciente an ignorante aliquo quid geſtum proponatur. & reliqua.

PAVLVS,

Libro & titulo quo ſupra.

QVI telum tutandæ ſalutis cauſa geret, non videatur hominis occidendi cauſa portare. Teli autem appellatione non tantum ferrum continetur, ſed omne quod nocendi cauſa portatum eſt.

EXPLICIT TITVLVS DE Sicariis & homicidiis caſu vel voluntate.

INCIPIT DE ATROCI INIVRIA.

MOYSES DICIT.

SI AVTEM *contenderint duo* II.
viri,& percuſſerit alter alterum Exo.21.
lapide aut pugno, & non fuerit
mortuus, decubuerit autem in lectulo, & ſi
ſurgens ambulauerit homo foris in baculo:
ſine crimine erit ille qui eũ percuſſerat: præ-
ter [a] *acceſsionis mercedẽ dabit ei & medico* a For. ceſ ſationis.
inpenſas curationis.

VLPIANVS

Libro regulari ſub titulo De iniuriis.

INIVRIA, ſi quidem atrox, id eſt grauis, rerum, nõ ſine iudicis arbitrio æſtimatur. Atrocem autem æſtimare ſolere Prætorem, * [b] adque colligi ex facto, vt puta ſi verberatus vel vulneratus fuerit. & reliqua.

b For. idque colligi.

PAPIANVS

Libro definitionum ſecundo, ſub titulo De iudicatis.

PER hominem liberum noxiæ deditũ ſi tantum adquiſitum ſit quantum damnum dedit, manumitterç cogendus eſt à Prætore qui noxæ de-

ditum accepit. ſed fiduciæ iudicio non tenetur.

VLPIANVS

Libro 19. ad edictum, ſub titulo, Si fatebitur iniuria occiſum eſſe in ſimplum. & cum diceret,

RVPISSE eum vtique accipiemus qui vulnerauerit, vel virgis, vel loris, vel pugnis cedit, vel telo cum alio vis genere cederet hominis corpus, * vel tumorem fecerit, vel ita demum ſi damnum datum eſt. De cetero ſi in nullo ſeruum pretio viliorem deterioréмve fecerit: ad Aquiliam ceſſat, iniuriarúmque erit agendum. Ergo & ſi pretio quidem non ſit deterior factus ſeruus, verùm ſumptus in ſalute eius & ſanitate facti ſunt, in hæc nec mihi videtur damni * Aquilia lege poſſe.

PAVLVS

Libro ſingulari & titulo De iniuriis.

GENERALITER dicitur iniuria omne quod non iure fit. Specialiter alia eſt contumelia quam Græci * ΑΔΙΚΙΑΝ vocant. Nam cũ Prætor noſter aduerſum nos pronunciaret, iniuriam nos accepiſſe dicimus. Vnde apparet non verum eſſe quod Labeo putabat, apud Prętorem iniuriã ΥΒΡΙΝ dũtaxat ſignificare. * [a] cõmunẽ omnibus enim iuris eſt, quod ſemper aduerſus bonos mores fit, idque nòn fieri alicuius intereſt. Hoc edictum ad eã iniuriam pertinet quæ contumeliæ cauſa fit. Fit autem iniuria vel in corpore, dum cedimur: vel verbis, dum cõuitium patimur: vel cum dignitas læditur, vt cum matronæ vel prætextatæ comites abducũtur. Iniuriarũ actio aut legitima eſt, aut honoraria. Legitima ex

[a] For. Cõmune enim omni ei nomen iniuriæ eſt.

QVI

lege duodecim tabularum, QVI iniuriam alteri facit, quinque & viginti ſeſtertiorũ pœnã ſubit. Quæ lex generalis fuit libero trecentos ſeruos c L pœnam ſubito ſextertiorum. * *

IDEM PAVLVS

Eodem libro ſingulari, ſub titulo Quemadmodum iniuriarum agatur.

QVI autem iniuriarum [a] in quid aget, certum dicat quid iniuriæ factum ſit, & taxationem ponat non minorem quam quanti vadimonium fuerit. Certum dicit qui ſuo nomine demonſtrat iniuriam: neque ita vt per diſiunctionem hoc aut illud accidiſſe comprehendat, ſed vt neceſſe habeat aut [b] vnam nomini ſuo rem deſtinare, aut plures ita complecti vt omnes eas accidiſſe cogatur probare. Certum autem an incertum dicat, cognitio ipſius Prætoris eſt. Demonſtrat autem hoc loco Prætor non vocem agentis, ſed qualem formulam edat. Certum non dicit qui dicit pulſatum, ſi ſit verberatus. ſed & partẽ corporis demonſtrat, & quem in modum: pugno puta, an fuſte, an lapide, ſicut formula poſita eſt, QVOD AVLI AGERII PVGNO MOLA PERCVSSA EST. Illud non cogitur dicere, dextra an ſiniſtra, nec qua manu percuſſit. Ita ſi dicat infamatum ſe eſſe, debet adIcere quemadmodum infamatus ſit. Sic enim & formula concepta eſt, QVOD NVMEDIVS NIGIDIVS ILLVM INMISIT AVLO AGERIO INFAMANDI CAVSA.

[a] *For.* inquit.

[b] *Vet.* Vnã nominis ſuo re deſtinare. *For.* Vnã nomine ſuo rem deſignare.

PAVLVS

Libro Sententiarum, ſub titulo ad legem Corne-

liam de ſicariis & veneficis.

CAVSA mortis idonea non videtur, cum læſus homo poſt aliquos dies officium diuturnæ vitæ retinens deceſſit: niſi forte fuerit ad necem cæſus, aut letaliter vulneratus.

INCIPIT DE IVRE ET SÆVITIA DOMINORVM.

MOYSES DICIT.

III. Exo.21. SI * QVIS *percuſſerit ſeruum aut ancillam virga, & mortuus fuerit in manibus eius, iudicio vindicetur. Quod ſi ſuperuixerit die vno, aut duobus, non vindicabitur. pretiũ enim ipſius eſt.*

PAVLVS

Libro Sententiarum, ſub titulo ad legem Corneliam de ſicariis & veneficis. dicit.

SERVVS ſi plagis defecerit, * niſi id dolo fiat, dominus homicidij reus non poteſt poſtulari. Modum enim caſtigandi & in ſeruorum cohercitione placuit temperari.

VLPIANVS

Libro octauo de officio Proconſulis, ſub titulo

De

De dominorum ſæuitia.

* Si dominus in ſeruum ſæuierit,vel ad pudicitiam turpemque violationem conpellat, quæ ſint partes Præſidis,ex reſcripto Diui Pij ad Aurelium Marcianum Proconſulem Bæticæ manifeſtatur: Cuius reſcripti verba hæc ſunt. * Dominorum quidem poteſtatem in ſeruos ſuos inlibatam eſſe oportet,nec cuiquam hominum ius ſuum detrahi. Sed dominorum intereſt ne auxilium contra ſæuitiam,vel famem,vel intolerabilem iniuriam denegetur iis qui iuſte deprecantur.Ideoque cognoſce de querelis illorum qui ex familia IulI Sabini ad ſtatuam confugerunt, &.ſiue durius habiti quam æquum,* vel infamię iniuria adfectos cognoueris, venire iube, vt in poteſtatem Sabini non reuertātur. Quod ſi meæ conſtitutioni * fraudem fecerit, ſciet me admiſſum ſeuerius exſecuturum. Diuus etiā Adrianus Vmbram quandam matronam in quinquennium relegauit,quod ex leuiſſimis cauſis ancillas atrociſſime tractaret.Item Diuus Pius ad libellum Alfi Iuli reſcripſit hæc verba. Servorū obſequiū non ſolum imperio,ſed & moderatione,& ſufficientibus præbitis, & iuſtis operibus contineri oportet.Itaque & ipſe [a] curare debet iuſte ac temperate & vos tractare,vt & facili requirere eo poſſit:niſi apparuerit vel in parente inpendiis eſſe,vel atrociorem dominationem ſęuitiam exercere neceſſe habeat Proconſ. v. c. ne quid tumultuoſius contra accidat,præuenire ſe, & ex mea iam auctoritate ad alienādos eos conpellere.Grauione & Romulo Conss.

[a] *De reſtitutione huius loci vide in calce huius libri.*

GREGORIANVS

Libro XVIIII, *ſub titulo De accuſationibus.*

IMPP. DIOCLITIANVS & Maximianus Auguſti Aurelio Sacrato militi. CVM ſeruum tuum vi ægritudinis grauiter oppreſſum fati munus impleſſe proponas: propter inmoderatam caſtigationem calumniæ cauſationem emergere, * innotitiæ ratio, cuius fiduciam geris, nō permittit. Prop. Non. Decemb. Dioclitiano A. III & Ariſtone Conss.

EXPLICIT TITVLVS
de dominorum ſæuitia cohibenda.

INCIPIT DE ADVLTERIO.

MOYSES DIXIT.

IIII. QVICVNQVE *mæchatus*
Ex.22. *fuerit cum muliere proximi ſui,*
Leui.20. Deut.22. *morte moriatur, qui mæchatus fuerit & quæ mæchata fuerit. Quod ſi aliquis ſeduxerit virginem non deſponſatam & ſtuprauerit eam, ducat eam ſibi in vxorem. Quod ſi renuerit pater eius & noluerit eam dare illi in vxorem, pecuniam inferet*

patri

patri inquantum eſt dos virginis.

PAVLVS

Libro ſingulari de adulteriis ſub titulo.

BREVEM interpretationem de adulteris coercẽdis facturus, per ipſa capita ire malui, ordinemque legis ſeruare. Et quidem primum caput legis Iuliæ de adulteriis prioribus legibus pluribus abrogat. [a] Secũdo vero capite permittit pater filias ſuas quas in poteſtatem habet, vt in ea quæ auctore cum in poteſtate eſſet viro in manũ convenerit, adulterum domui ſuæ generive ſui deprehenderit, in quem eam rem ſocerum adhibuerit, vt is pater cum adulterum ſine fraude occidat, ita vt filiam in continenti occidat. * [b] Inuidia autẽ filia qui adulterum deprehenſum occiderit, & in continenti filiã, licito iure hoc factum Marcellus libro XXI. Digeſtorum ſcribit. Auctoritate quoq; [c] pater poſſe interficere vel Cõs. verum vel patronum ſuum in filiam adulterum deprehenderit, eodem libro Marcellus probat. Sed ſi filiam non interfecerit, ſed ſolum adulterũ, homicidij reus eſt. Si ex interuallo filiam interfecerit, tantũdem eſt, niſi perſequutus interfecerit. Continuatione enim animi videtur legis auctoritate feciſſe.

a De reſtitutione huius loci & ſeq. vide in calce huius libri.

b For. Inuidua *

c For. paterna. *

IDEM PAVLVS

Eodem ſingulari libro & titulo.

CERTÆ autem enumerantur perſonæ, quas viro liceat occidere in adulterio deprehenſa vxore, quamuis vxorem non liceat. Ergo ſecundum leges viro etiam filio familias permittitur etiam

domi ſuæ deprehenſum adulterum interficere ſeruum, & eum qui auctoramento rogatus eſt ad gladium, vel etiam illum qui operas ſuas vt cum beſtiis pugnaret, locauit. Sed & iudicio publico damnatum licere interficere in adulterio deprehenſum, vel libertinum vel ſuum vel paternum, & tam ciuem Romanum quam Latinum. Sed & patris & matris, & filij & filiæ libertum permittitur occidere: quo loco & deditius habetur. Debet autem profiteri apud eum cuius iuriſdictio eſt eo loco vbi occidit, & vxorẽ dimittere. Quod ſi non fecerit, inpune non interficit. Sciendum eſt autem Diuum Marcum & Commodum reſcripiſſe, eum qui adulterum inlicite interfecerit, leuiori pœna puniri. Sed & Magnus Antoninus pepercit eis qui adulteros inconſulto calore ducti interfecerunt. & reliqua.

IDEM PAVLVS.

Eodem libro ſingulari & titulo.

IVRE mariti vel patris qui accuſat, poteſt & ſine calũniæ pœna vinci: ſi iure extranei accuſat, poteſt calumniæ pœna puniri, ſed tantũ poſt duo menſes. Intra quatuor mẽſes vtiles expertus, licet talis ſit qui alias accuſare nõ poſſit, vt libertinus, aut minor vigintiquinq; annorum, aut infamis, tamen ad accuſationem admittitur, vt & Papianus libro xv. ſcripſit.

PAPIANVS

Libro xv. *reſponſorum ſub titulo ad legem Iuliam de adulteris.*

CIVIS Romanus qui ſine connubio ſibi peregrinam in matrimonio habuit, iure quidẽ ma-

riti eam adulteram non poſtulat, ſed ei nõ opponetur infamia, vel quod libertinus rem ſeſtertiorum triginta milium aut filium non habuit, propriam iniuriam perſequenti.

PAVLVS

Libro ſingulari & titulo quo ſupra.

IN vxorem adulterium vindicatur iure mariti, non etiam ſponſam. Seuerus quoque & Antoninus ita reſcripſerunt.

PAPIANVS

Libro ſingulari de adulteriis.

QVÆREBATVR an pater emancipatam filiam iure patris accuſare poſſit. Reſpondit. Occidendi quidem facultatem Lex tribuit eam filiã quam habet in poteſtatem, aut eo auctore in manum conuenit: ſed accuſare iure patris ne quidem emancipatam filiam pater prohibetur.

PAPIANVS

Eodem ſingulari & titulo.

CVM patri lex Regia dederit in filiam vitæ neciſque poteſtatem, quod bonum fuit lege cõprehendi, vt poteſtas fieret etiam filiam occidendi, vellem mihi reſcribere. nam ſcire cupio. Reſpondit. Numquid ex contrario præſtat nobis argumentum hæc adiectio vt non videatur lex nõ habẽti [a] dediſſe, vt videatur maiore æquitate ductus adulterum occidiſſe, cũ nec filiæ pepercerit. * [a] For. dediſſe, ſed vt.

IDEM.

SI pater qui adulterum occidit, & filiæ ſuæ pepercit, quæro quid aduerſus eum ſit ſtatuendum. Reſpondit. Sine dubio iſte pater homicida eſt. Igitur tenebitur lege Cornelia de ſica-

riis. Plane ſi filia non voluntate patris, ſed caſu ſeruata eſt, non minimam habebit defenſionem pater, quod forte [a] filiam. Nã lex ita punit homicidam ſi dolo malo homicidium factum fuerit. Hic autem pater non ideo ſeruauit filiam quia voluit, ſed quia occidere eam non potuit.

a *For.* filia effugit. *aut,* caſu euaſit.

PAPIANVS IDEM.

SI maritus vxorẽ ſuã in adulterio deprehẽſam occidit, an in legẽ de ſicariis incidit, quæro. Reſpõdit. Nulla parte legis marito vxorem occidere conceditur. Quare ea parte contra legem feciſſe eum non * dubitantur non ambigitur. Sed ſi de pœna tractas * non his quæ aliquid eius honeſtiſſimo calori permittetur, ambigitur. Sic dicit non dubitantur, vt non quaſi homicida puniatur capite vel deportatione: ſed vſque ad exiliũ pœna eius ſtatuitur.

ITEM SIC.

DE mancipiis alterius marito vel patre accuſante quæſtionem habendam palam eſſe. An idem extraneo accuſatori permitti debeat, quęro. Reſpõdit. Poteſt videri ea ratio fuiſſe permittẽdi iſtis perſonis de ſeruis quæſtionem habere, vt diligentius dolorem animi ſui, item iniuriam lecti & domus, nõ tranſlaticie perſequerẽtur. Sed quoniam non facile tale delictum ſine miniſterio ſeruorum admitti creditum eſt, ratio eo perduxit, vt etiam extraneo accuſante mãcipia quæſtioni tormentorum ſubiicerentur à iudicibus.

PAVLVS

*Libro * Sententiarum ſub titulo de adulteriis.*

Lege, libro ſecũdo ſent.

PERMIT-

PERMITTITVR tam adoptiuo quam naturali patri, adulterum cum filia cuiuſque dignitatis domi ſuæ vel generi ſui deprehēſum ſua manu occidere. Filiusfamiliæ pater ſi filiam in adulterio deprehenderit, verbis quidem legis prope eſt vt non poſſit occidere, permittitur tamen etiam ei vt occidat. Maritus in adulterio deprehenſos non alios quam infames & eos qui corpore quæſtum faciunt, ſeruos etiam & liberos, excepta vxore quam prohibetur, occidere poteſt. Maritum qui vxorem deprehenſam cum adultero occidit, quia hoc inpatientia iuſti doloris admiſit, lenius puniri placuit. Occiſo adultero dimittere ſtatim maritus debet vxorem, atque ita triduo proximo profiteri cum quo adultero, & in quo loco vxorem deprehenderit. Inuenta in adulterio vxore maritus ita demum adulterum maritus occidere poteſt, ſi eum domi ſuæ deprehendat. Eum qui in adulterio deprehenſam vxorem non ſtatim dimiſerit, reum lenocinij poſtulari placuit. Serui vero tam mariti quam vxoris in cauſa adulterij torqueri poſſunt: nec his libertas ſub ſpecie impunitatis data valebit.

EXPLICIT TITVLVS IIII.

INCIPIT DE STVPRATORIBVS.

V. Leui. 20. MOYSES DICIT. *Qui manſerit cum maſculo manſione muliebri, aſpernamentum eſt, ambo moriantur: rei ſunt.*

PAVLVS

*Libro * Sententiarum ſub titulo de adulteris.*

QVI maſculum liberum invitum ſtuprauerit, capite punietur. qui voluntate ſua ſtuprum flagitiumque inpurum patitur, dimidia parte bonorum ſuorum multatur, nec teſtamentum ei ex maiore parte facere licet. Hoc quidem iuris eſt, mentem tamen legis Moyſis, Imperatoris Theodoſij conſtitutio ad plenum ſecuta cognoſcitur.

ITEM, *Theodoſianus.* IMPP. VALENTINIANVS, *Theodoſius & Arcadius Auguſti, ad Orientium vicarium vrbis Romæ.*

NON patiamur vrbis Romæ virtutum omnium matrem diutius effœminati in viros pudo-
* ris cõtaminatione fœdari, & agreſte illud ad priſcis conditoribus robur fracta molliter plebe tenuatum, convicium ſæculi vel cõditorum inro-
* gare vel principium. Orienti AGUC nouis. Laudanda igitur experientia tua, omnes quibus flagitioſus luxus eſt viri corpus muliebriter conſtitutum alieni ſexus damnare patientia, nihilque diſcre-

diſcretum habere cum feminis, occupatos, vt flagitij poſſit inmanitas, atque omnibus ſeductos, pudet dicere, virorum lupanaribus, ſpectante populo flammis vindicibus expiabit, vt vniuerſi intelligant ſacroſanctũ cunctis eſſe debere hoſpitium virilis animæ, nec ſine ſummo ſupplicio alienũ expetiſſe ſexum, qui ſuũ turpiter perdidiſſet. Prop. prid. Id. Maias, Romę, Inatrio Mineruę.

EXPLICIT TITVLVS de ſtupratoribus.

INCIPIT DE INCESTIS NVPTIIS.

MOYSES DICIT. QVICVNQVE *concubuerit cum muliere vxore patris ſui, pudenda patris ſui detexit, morte moriantur: ambo rei ſunt. Et quicunque concubuerit cum nuru ſua, morte moriantur: ambo rei ſunt.* VI. Leui. 20.

VLPIANVS

Libro Regulari De nuptiis ſub titulo.

INTER parentes & liberos, cuiuſque gradus ſint, connubium non eſt. Inter cognatos autẽ ex tranſverſo gradu, olim quidem matrimonia cõtrahi non poterant: nunc autem ex tertio gradu licet vxorem ducere, ſed tantum fratris filiam, nõ

etiam ſororis: nec amitam, nec materteram, quãvis eodem gradu ſint. Eam quæ nouerca, vel priuigna, vel quæ nurus vel ſocrus fuit, vxorem ducere non poſſumus. Si quis eam quam non licet, vxorem duxerit, inceſtum matrimonium contrahit: ideoque liberi in poteſtate eius non fiunt, ſed quaſi vulgo concepti, ſpurij ſunt.

PAVLVS

*Libro * Sententiarum ſub titulo De nuptiis.*

INTER parentes & liberos iure ciuili matrimonia contrahi non poſſunt: nec filiam ſororis aut neptem ducere poſſumus: proneptem ætatis ratio prohibet. Adoptiua cognatio impedit nuptias inter parẽtes ac liberos omnimodo: inter fratres eatenus quatenus capitis minutio non intervenit. Nec ſocrum, nec nurum, priuignam nec nouercam aliquando citra pœnam inceſti vxorem ducere licet: ſicvt nec amitam, aut materteram. * a ſed vel cognatam contra interdictum duxerit, remiſſo mulieri iuris errore, ipſe pœnam adulterij legis Iuliæ patitur, non etiam ducta.

a *For.* Si vero cogn.

GREGORIANVS

Libro quinto De nuptiis ſub titulo.

Exẽplum literarum Dioclitiani & Maximiani Impp. talem coniunctionem grauiter puniri commemorat.

EXEMPLVM *Edicti Dioclitiani & Maximiani, nobiliſſimorum Cæſarum.*

QVONIAM piis religioſiſque mentibus noſtris ea quæ Romanis legibus caſte ſanctequę ſunt

ſunt conſtituta, venerabilia maxime videntur, atque æterna religione ſeruanda: diſſimulare ea quæ a quibuſdã in præteritũ nefarie inceſteque commiſſa ſunt, non oportere credimus, cum vel cohibenda ſunt, vel etiam vindicanda, inſurgere nos diſciplina noſtrorum temporum cohortatur. * Ita enim & ipſos immortales Deos Romano nomini, vt ſemper fuerunt, fauentes atque placatos futuros eſſe non dubium eſt, ſi cunctos ſub imperio noſtro agentes piam, religioſamque, & quietam, & caſtam in omnibus more colere perſpexerimus vitam. In quo id etiam prouidendum quammaxime eſſe cenſuimus, vt matrimoniis religioſe atque legitime iuxta diſciplinam iuris veteris copulatis, tam eorum honeſtati qui nuptiarum cõiunctiones ſectantur, quam etiam his qui cum deinceps ſeruata religione naſcentur, incipiat eſſe conſultum, & honeſtate naſcendi etiam poſteritas ipſa purgata ſit. Id enim pietati noſtræ maxime placuit, vt ſancte neceſſitudinum nomina obtineant apud affectus ſuos piam ac religioſam conſanguinitati debitam caritatem. Nefas enim credere eſt ea quæ in præteritum a conpluribus cõſtat eſſe commiſſa, cum pecudum ac ferarum promiſcuo ritu, ad inlicita connubia inſtinctu exercendæ libidinis, ſine vllo reſpectu pudoris ac pietatis inruerint. Sed quæcunque antehac vel inperitia delinquentium, vel pro ignorantia iuris, Barbaricæ inmanitatis ritu ex inlicitis matrimoniis videntur admiſſa, quamquam eſſent ſeueriſſime vindicanda, tamen contemplatione clementiæ noſtræ ad

indulgentiam volumus pertinere: ita tamen vt quicunque in anteactum tempus inlicitis inceſtisque ſe matrimoniis polluerunt, hactenus adeptos ſe eſſe noſtra indulgentia ſciant, vt poſt tam nefaria facinora, vitam quidem ſibi gratulétur eſſe conceſſam, ſciant tamen non legitimos ſe ſuſcepiſſe liberos quos tam nefaria cóiunctione genuerunt. Ita enim fiet vt de futuro quoque nemo audeat inefrænatis cupiditatibus obedire, cum & ſciant ita præcedentes admiſſores iſtiuſmodi criminum venia liberatos, vt liberorum quod inlicite genuerũt ſucceſſiones * a careatur, quæ iuxta vetuſtatem Romanis legibus negabatur. Et optaſſemus quidem nec ante quicquam eiuſmodi eſſe commiſſum quod eſſet aut clemẽtia remittendum, aut legibus corrigendum. Sed & poſt hanc religionem ſanctitatemque in connubiis copulandis volumus ab vnoquoque ſeruari, vt ſe ad diſciplinam legeſque Romanas meminerint pertinere, & eas tantum ſciant nuptias licitas quæ ſunt Romano iure permiſſæ. Cum quibus autem perſonis tam cognatorum quam ex adfinium numero contrahi non liceat matrimonium, hoc edicto noſtro complexi ſumus. Cum filia, nepte, pronepteque, matre, auia, proauia: & ex latere amita ac matertera, ſororis filia, & ex ea nepte. Itemque ex adfinibus priuigna, nouerca, ſocru, nuru, ceteriſque quæ antiquo iure prohibentur: a quibus cunctos volumus abſtinere. Nihil enim niſi hanc tantum ac venerabiles noſtra iura cuſtodiunt, & ita ad tantam magnitudinem Romanam geſta cunctorum non mi-

a For. arceantur.

mirum fauore pervenit, quoniam omnes leges ſua religione ſapienti pudoriſque obſeruatione devinxit. Quare hoc edicto noſtro volumus omnibus palam fieri, quod præteritorum venia per clementiam noſtram contra diſciplinam videtur indulta, ad ea tantum delicta pertineat quę in die tertio Kal. Ianuariarum Tuſco & Anulino Conss. videntur eſſe commiſſa. Si qua autem contra Romani nominis decus ſanctitatemque legum, poſt ſupradictum diem deprehendũtur admiſſa, digna ſeueritate plectentur. Nec enim vllam in tam nefario ſcelere quiſquam æſtimet veniam ſe conſequi poſſe, qui tam euidẽti crimini, & poſt edictum noſtrum non dubitabit * infuere. Dat. Kl. Mai. Damaſco. Tuſco, & Anulino Conss.

ERMOGENIANVS

Sub titulo de nuptiis.

IMPP. DIOCLITIANVS

& Maximianus AA. Fl. Flauiano.

HIS qui inceſtas nuptias per errorem contrahunt, ne pœnis ſubiiciantur, ita demum clementia principum ſubvenit, ſi poſteaquàm errorem ſuũ reſcierint, ilico nefarias nuptias dirimerint, Prop. Id. Mar * & Diogene Cons.

Hanc quoque conſtitutionem Gregorianus titulo de nuptiis inſeruit, quæ eſt triceſima & ſecunda, aliis tamen & die & coss.* id eſt CONSTITVTIO PP. V. ID. IVN. DIOCLITIANO TER ET MAXIMIANO AVGVSTIS.

PAPIANVS

Libro ſingulari de adulteriis.

QVI ſororis filiam vxorem duxerat per er-

rorē, antequam præueniretur a delatore, dirimit coitū: quæro an adhuc poſſit accuſari. Reſpōdit. Ei qui cōiunctione ſororis filiæ bona fide abſtinuit, pœnā remitti palā eſt: quia qui errore cognito diremit coitum, creditur eius voluntatis fuiſſe, vt, ſi ſciſſet ſe in eo neceſſitudinis gradu poſitū, non fuiſſet tale matrimoniū copulaturus.

Idem dicitur in eos qui inceſtas nuptias contraxerunt. Maledicti tamen ſunt omnes inceſti per legem, cum adhuc rudibus populis ex diuino nutu condita Iſdem adſtipulantibus ſancirentur. Et vtique omnes maledicti puniti ſunt, quos diuina & humana ſententia conſona voce damnauit. Lex diuina ſic dicit.

MALEDICTVS (inquit) dixit Moyſes, QVI *cōcubuerit cum vxore patris ſui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum ſorore ſua de patre aut de matre: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum nuru ſua: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum ſocru ſua: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cū ſorore patris ſui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum ſorore matris ſuæ, & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui cōcubuerit cum ſorore vxoris ſuæ, & di-*

& dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui dormierit cum vxore fratris ſui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui dormierit cum omni pecore: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat.

EXPLICIT TITVLVS DE adulteris, ſtupratoribus & inceſtis.

INCIPIT DE FVRIBVS, ET POENA EORVM.

Quid ſi duodecim tabularũ* nocturnum furem autẽ ſi ſe aut telo defendere, interfici iubẽt, ſcitote, Iuriſcõſulti, quia Moyſes prius hoc ſtatuit, ſicut lectio manifeſtat.

MOYSES DICIT. *Si perfodiens nocte parietem inuentus fuerit fur, & percuſſerit eum alius, & mortuus fuerit hic, non eſt homicida is qui percuſſerit eum. Si autem ſol ortus ſuper eum, reus eſt mortis percuſſor, & ipſe morietur.* VII. Exo. 22.

PAVLVS

Libro Sententiarum V. *ad legem Corneliam De ſicariis & veneficis.*

Si quis furem nocturnum vel diurnum, cum ſe telo defenderet, occiderit, hac quidem lege nõ tenetur: ſed melius fecerit qui eum comprehenſum, tranſmittendum ad Præſidem magiſtratibus obtulerit.

VLPIANVS

Libro VIII. *ad Edictum ſub titulo, Si quadrupes pauperiem dederit.*

INIVRIA occiſum eſſe merito adIcitur. Non enim ſufficit occiſum, ſed oportet iniuria id eſſe factum. Proinde ſi quis ſeruum latronem occiderit, lege Aquilia non tenetur, quia nõ*occidit. Sed & quemcunque alium ferro ſe petentem qui occiderit, non videbitur iniuria occidiſſe. Proinde ſi furem nocturnum quem lex duodecim tabularum omnimodo permittit occidere, aut diurnum quem eaque lex permittit, ſed ita demum ſi ſe telo defendat, videamus an lege Aquilia teneatur. Et Pomponius dubitat nunc hæc lex non ſit in vſu. Et ſi quis noctu furem occiderit, non dubitamus quin lege Aquilia teneatur. Sin autem cum poſſet adprehendere, maluit occidere, magis eſt vt iniuria feciſſe videatur. Ergo etiam lege Cornelia tenebitur. Iniuriam autem accipere hîc nos oportet, non, quemadmodum & circa iniuriarum actionem, contumeliam quandam, ſed quod non iure factũ eſt, hoc eſt, contra ius. id eſt, ſi culpa quis occiderit. & reliqua.

VLPIANVS

Libro octauo de officio Proconſulis ſub titulo De furibus.

FVRES

Fvres ad forum remittendi ſunt diurni, nocturnique extra ordinem audiendi, & cauſa cognita puniendi, dum pœna eorum ſciamus operis publici modum non egrediẽdum. Idem & in balneariis furibus. Sed ſi ſe telo fures defendũt, vel effractores, vel ceteri ſimiles, nec quemquam percuſſerunt, metalli pœna humiliores, honeſtiores vero relegatione adficiendi erunt.

PAVLVS

Libro Sententiarum ſub titulo De furibus.

Fvrti quocumque genere damnatus, famoſus efficitur. Fur eſt qui rem alienam contrectat. Furtorum genera ſunt quatuor, Manifeſti, nec manifeſti, concepti, & oblati. Manifeſtus fur eſt qui in faciendo deprehenſus eſt, & intra terminos eius loci vnde furatus eſt, comprehenſus eſt, vel antequam ad eum locum quo deſtinauerat, perveneri t. Nec manifeſtus eſt fur qui intra rapiendo quidem conprehenſus nõ eſt, ſed eum feciſſe negari non poteſt. Concepti actione tenetur apud quem furtum eſt inventum. Oblati actione is tenetur qui rem furtiuam alij obtulit, ne apud ſe inueniretur. Furti actione is agere poteſt cuius intereſt rem non periſſe. Conceptiua autem agere poteſt qui rem cõcepit & invenit. Oblati agere poteſt penes quem res [a]cõcepti inuenta eſt.

[a] *For.* Cõcepta. i. inuenta eſt.

EXPLICIT TITVLVS de furibus.

INCIPIT DE FALSO TESTIMONIO.

MOYSES DICIT.

VIII. SI ſteterit teſtis iniuſtus aduerſus
Deut. 19. hominem accuſandum, accuſans eum impietatis, ſtabunt duo homines quibus eſt inuicē contentio, ante Deū, & ante ſacerdotes, & ante iudices quicunque fuerint in illis diebus. Cum inquiſierint iudices diligenter, & inuentus fuerit teſtis iniuſtus teſtificans iniuſta, inſurgētes aduerſus eū facietis ei ſicut voluit malefacere, & delebitis malum de medio veſtrū: & ceteri audiētes timebunt, nec audebunt mala facere inter vos.

PAVLVS

Libro ſingulari De pœnis omnium legum ſub titulo, Ad legem Iuliam de adulterIs.

QVI falſum teſtimoniū dixerit, proinde tenebitur acſi lege Cornelia teſtamentaria damnatus eſſet.

PAVLVS

Libro Sententiarum quinto, ſub titulo De teſtibus & de quæſtionibus.

Hi qui [a]falſum vel*aliqua teſtimonia dixerũt, vel [b] vtriuſve parti prodiderũt, aut in exiliũ agũtur, aut in inſulã relegãtur, aut curia ſubmouẽtur.

a *For.* falſa vel obliqua.
b *For.* vtrique parti.

IDEM *Libro* * *ad legem Corneliam de ſicariis & veneficis.*

Lex Cornelia pœnã deportationis infligit ei qui hominẽ occiderit, eiuſque rei cauſa furtique faciendi, cum telo fuerit, & qui venenũ hominis necandi cauſa habuerit, vendiderit, parauerit, falſumve teſtimoniũ dixerit quo quis periret, mortiſve cauſam prꝑſtiterit. Quæ omnia facinora in honeſtiores pœna capitis vindicari placuit: humiliores vero aut in crucem tolluntur, aut beſtiis ſubiiciuntur.

PAVLVS
Libro Sententiarum v. *ſub titulo. Ad legem Corneliam teſtamentariam.*

Hi qui ob falſum teſtimoniũ perhibẽdũ pecuniã acceperint, dederint, iudicẽve, vt ſententiã ferat vel nõ ferat, corruperint, corrũpẽdũve curauerint, humiliores capite puniũtur, honeſtiores publicatis bonis cũ ipſo iudice in inſulã deportãtur.

IDEM *eodem libro & titulo.*

*Falsvm eſt quicquid in veritate non eſt, ſed pro vero adſeueratur.

VLPIANVS
Sub titulo De pœna legis Corneliæ teſtamentariæ, libro VIII.

*Præterea factũ eſt Senatuſcõſultũ*Statilio & Tauro Cõſulibus, quo pœna legis Corneliæ inrogatur ei qui quid aliud quã teſtamẽtum ſciẽs ſignauerit, ſignarive curauerit. Itẽ qui falſas teſtationes faciendas, teſtamentave falſa inuicem

dicenda aut conſignanda dolo malo curauerit, Licinio v. & Tauro Conss. Item qui ob ſtruendam aduocationem teſtimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, ſocietatem coierit, aut aliquam delationem interpoſuerit. Item ſi quis coierit ad occiſionem innocentium, Senatuſcõſulto quod Cotta & Meſſala factum eſt, cohercentur. Sed & ſi quis ob venundandum vel * denudandum * non remittendumve teſtimonium pecuniam acceperit, Senatuſconſulto quod duobus Geminis Conss. factum ſit, pœna legis Corneliæ adficitur. & reliqua.

* *

VIIII. Exo. 20. ITEM MOYSES. FALSVM *teſtimonium non dabis aduerſus proximum tuum.*

VLPIANVS
Libro VIIII. *de officio Proconſulis ad legem Iuliam de vi publica & priuata.*

EADEM lege quibuſdam teſtimonium omnino, quibuſdã interdicitur inuitis, capite octogeſimo & VII. & capite octogeſimo octauo, in hæc verba, * his verbis * HOMINIBVS IN HAC LEGE IN REVM TESTIMONIVM DICERE NE LICETO. qui ſe ab eo parẽteve eius, libertove cuius eorũ libertus libertauerit * quive impubes erit, * quive eorum in integrum reſtitutus non eſt, quive in vinculis cuſtodiaque publica erit, quive depugnandi cauſa auctoratus erit, quive beſtias depugnare locauit, locauerit: præter-

præterquam [a] quiaculandi cauſa ad vrbẽ miſſus eſt, erit, palamve corpore quæſtum faciet, fecerit: quive ob teſtimoniũ dicendum pecuniã accepiſſe iudicatus erit: neve quis eorũ hac lege in reum teſtimonium dicat: Capite octogeſimo ſeptimo his. HOMINES INVITI IN REVM teſtimonium ne dicant, qui ſobrinus eſt ei reo, propioreve cognatione cõiunctus, quive ſocer, gener, vitricus, priuignuſque eius erit. & reliqua.

a For. qui iaculandi.

PAVLVS

Libro ſententiarum v. ſub titulo De teſtibus & quæſtionibus.

[b] SVSCEPTOS teſtes, & eos vel maxime quos accuſator de domo eduxit, vel vitæ humilitas infamauerit, interrogari non placuit. In teſtibus enim & vitæ qualitas ſpectari debet & dignitas [c] ſi ſint adfinem vel cognatum inuiti teſtes interrogari non poſſunt. Aduerſus ſe inuicem parentes & liberi, itẽque liberti nec volẽtes ad teſtimonium admittẽdi ſunt. quia rei veræ teſtimonium neceſſitudo perſonarum plerumque corrumpit.

b For. Suſpectos.

c For. in ad finẽ.

EXPLICIT TITVLVS DE FAMIliari teſtimonio non admittendo.

INCIPIT DE DEPOSITO.

MOYSES DICIT.

SI aliquis dabit proximo ſuo argentum vel vas ſeruare, & furatum fuerit de domo hominis, ſi

X. Exo. 22.

inuenitur qui furatus eſt, reddet duplum: quod ſi non fuerit inuẽtus fur, accedet is qui commẽdatum ſuſceperat, ante Dominũ, & iurabit nihil ſe nequiter egiſſe de omni re cõmendata proximi ſui, & liberabitur.

Modestinvs

Libro Differentiarum ſecundo De depoſito vel commendato.

Commendati iudicio conuentus etiam culpam præſtare cogitur: qui vero depoſiti conuenitur, de dolo non etiam de culpa condemnandus eſt. Commodati enim contractu, quia vtriuſque contrahentis vtilitas interuenit, vtrumque præſtatur: in depoſiti vero, cum ſola deponentis vtilitas vertitur, ibi dolus tantum præſtatur. Sed in ceteris quoque partibus iuris iſta regula cuſtoditur. ſic enim & in fiduciæ iudicio, & in actione rei vxoriæ & dolus & culpa deducitur: quia vtriuſque contrahentis vtilitas intervenit. In mandati vero iudicio dolus * non etiam tutoris vtilitas in adminiſtratione verſatur. Depoſiti damnatus infamis eſt: qui vero commodati damnatur non fit infamis. alter enim propter dolum, alter propter culpam condemnatur. Actione depoſiti conuentus ei Variarum nomine apud eundem iudicem vtiliter experitur: at is cui res [a] commendata eſt, improbe ei Variarum exactionem intendit. Inpenſas tamẽ neceſſarias iure perſequitur, quas forte in ægrum vel alias laborantem inpende

a *For.* cõmodata.
b *For.* Res apud te depoſ. ſi ſubr.

penderit.*[b] Reſpōdit.depoſita ſi ſubripiatur,dominus domus habet furti actionē,quamvis apud quē res depoſita eſt interſit ob inpēſas in rē factas ſe retinere:is vero cui res cōmodata ſit, furti experiri debebit,ſi modo ſoluēdo fuerit.Actio cōmodati ſēper in ſimplū cōpetit:depoſiti vero nōnumquā in duplū,ſcilicet ſi ruinæ,vel naufragij, vel incendij, aut tumultus cauſa res deponatur.

b For. Res apud te dep. ſi ſubr.

ERMOGENIANVS

Sub titulo De depoſito huiuſmodi inſerit conſtitutionem.

IDEM Auguſtus Cæſar Fl.Munatio.EVM qui ſuſcepit depoſitum,dolum non etiam caſum præſtare certi iuris eſt.Cum itaque proponas ignis vi quædam cremata de his quę tibi fuere commendata,nec vllum dolum in ſubtrahendis rebus adhibitū, rector prouincię nihil contra iuris rationē fieri patietur. Et quoniā nec tu quereris moras adhibita varietatē negotiū inter vos ortū ſecūdum iuris ordinē ſua ratione decidetur. Subſcripta VIII.Kl.Iul.Serdica. Auguſtis Cæſaribus. *

IDEM *Auguſtus & Caſar Fl.Aurelio Attenico Andronico.*

Eos penes quos veſtem & argenti materiam depoſuiſſe proponis, apud rectorem prouincię conuenit interrogari.quod ſiue teneant,ſiue dolo fecerunt quominus poſſint reſtituere,ſecundū bonam fidem tibi ſatisfacere conpellet. Subſcripta VI.Kl.April.Syrmi.Cęss:Conss.

IDEM *Auguſtus & Caſares Aurelio & Euſtatio & Dioſimo.*

Is qui depoſitum ſuſcepit vltra dolum,ſi nō a-

liud ſpecialiter conuenit, præſtare nihil neceſſe habet. Cuius memor iuris rector prouinciæ, partium allegationibus auditis pro ereptorũ qualitate ſua ordinabit ſententia. Subſcripta XIIII. Kl. Noũ. Appiaria.*

a For. Septimio & Quadrato. IDEM *Auguſtus & Cæſares* [b] VII. *& Quadrat.*

ILLE qui dolo malo depoſitum non reſtituit, ſuo nomine cõuentus ad eius cum infamiæ periculo reſtitutionem vrguetur. Scripta Id. Dec. Nicomedia. CC. Conſs.

PAVLVS

Libro ſecundo ſententiarum ſub titulo De depoſito.

DEPONERE poſſumus apud alium id quod noſtri iuris eſt vel alieni. Depoſitum eſt quaſi diu poſitum. Seruandum eſt quod ad breue tempus cuſtodiẽdum datur. Deponere videtur qui in metu ruinæ, incendij, naufragij, apud alium cuſtodiæ cauſa deponit. Deponere videtur & is qui ſuſpectam habens vel minus idoneam cuſtodiam domus, vel vim latronum timens, apud aliquem rem cuſtodiendam commendat. Si ſacellum vel argentum depoſuero, & is penes quem depoſitum fuit, me inuito contrectauit, & depoſiti & furti actio mihi in eum cõpetit. Ob res depoſitas dolus, tantum præſtari ſolet. In iudicio depoſiti ex mora & fructus veniunt, & vſuræ rei depoſitæ præſtantur. Si quis rẽ penes ſe poſitã apud aliũ depoſuerit, tã ipſe directã, quam is qui apud eũ depoſuit, vtilem actionem depoſiti habere poſſunt. Si pecuniam depoſuero [b] eamque in * tibi cõmiſero, mutuum magis videtur quam depoſitum,

b For. eã que in vſum tibi comm.

ac

ac per hoc periculo tuo erit. Si rem apud te depoſitam vendideris,eamque redimeris,[a] poſtquã perdideris,ſemel admiſſo dolo perpetua depoſiti actione teneberis. Ex cauſa depoſiti lege duodecim tabularum in duplum actio datur, edicto Prætoris in ſimplum.

a For. poſtque eam per.

GREGORIANVS

Libro IIII. ſub titulo De depoſito.

IMP. Alexander A. Meſtrio militi. Incurſu latronum ornamenta depoſita apud interfectũ ab eis perierunt. Detrimentum ad heredes eius qui depoſitum accepit, qui dolum tantum præſtare debent,nõ pertinet. Quod ſi ex prætextu latrocinij commiſſi res quæ in poteſtate heredis ſunt nõ reſtituuntur,tam depoſiti quam ad exhibendum actio,ſed & in rẽ vindicatio conpetit.Prop.VII. Kl.Iul.Maximiano bis & Vrbano Conss.

PAVLVS

Libro reſponſorum quinto,ſub titulo Ex locato & conducto.

IMP. Antoninus Iulio Agrippino. Dominus horreorum periculum vis maioris, vel efracturæ latronum præſtare nõ cogitur.his ceſſantibus ſi quid ex poſitis rebus inlæſis extrinſecus horrei * damnum depoſitorũ ſarciri debet. Prop. IIII. Non.Nou.Antonino II.Cons.Paulus reſpondit,Satis præpoſitam cõſtitutionem declarare his qui horrea locant, maiorem vim inputari non poſſe.

EXPLICIT TITVLVS de depoſito.

INCIPIT DE ABIGEATORIBVS.

MOYSES DICIT.

XI. Ex.22. SI QVIS *inuolauerit vitulum aut ouem, & occiderit, aut vendiderit, quinque vitulos reſtituet pro vitulo vno, quatuor oues pro oue vna. Quod ſi non habet vnde reddat, venundetur pro furto,*

PAVLVS
Libro ſententiarum ſub titulo De abigeatoribus.

ATROCES pecorum abactores plerumque ad gladium vel in metallum, nonnumquam autem in opus publicum dantur. Atroces autē ſunt qui equós & greges ouium de ſtabulo vel de paſcuis abigunt, vel ſi id ſępius aut [a] a ferro conducta manu faciunt.

[a] For. aut cū ferro, aut cōd.

IDEM PAVLVS
Eodem libro & titulo.

ABIGEATORES ſunt qui vnum equū, vel duas equas, totidemque boues, vel capras decē, porcos quinque abegerint. Quicquid vero intra hunc numerum fuerit ablatum, pœna furti pro qualita-

qualitate eius aut in duplum,aut in triplum convenitur, aut fuſtibus cæſus in opus publicum vnius anni datur, aut ſub pœna vinculorum domino reſtituitur.

IDEM PAVLVS
Eodem libro & titulo.

SI ea pecora de quibus quis litigauerat, abegerit,ad forum remittendus eſt:atque ita convictus in duplũ vel triplum furis more damnatur.

IDEM PAVLVS
Eodem libro & titulo.

QVI bouem vel equum errantẽ,quodve aliud pecus abduxerit, furem magis eũ quam abigeatorem conſtitui placuit.

PAVLVS
Libro ſingulari de pœnis paganorum,ſub titulo De abigeis, dixit.

CVM durius abigei damnãtur,& ad gladium tradantur. Itaq; diuus Pius ad concilium Bæticæ reſcripſit.Qui pecora de quibus litigabat,abegit, ad forũ remittendus eſt,& ſi victus fuerit, in duplum vel quadruplum condemnandus.

VLPIANVS
Libro octauo de officio Proconſulis,ſub titulo De abigeis.

DE abigeis puniendis ita diuus Adrianus reſcripſit concilio Bæticæ.Abigei cũ duriſſime puniuntur,ad gladiũ dãnari ſolẽt. PVNIVNTVR autẽ duriſſime nõ vbique,ſed vbi frequentius eſt hoc genus maleficij : alioquin & in opus, & nõnumquam temporarium damnantur. Ideoque puto apud vos quoque ſufficere genus pœnæ,

quod [a] maximo huic maleficio inrogari ſolet,vt ad gladium abigei dentur: aut ſi quis tam notus & tam grauis in abigendo fuit, vt prius ex hoc crimine aliqua pœna adfectus ſit,hunc in metallum dari oportere. Reſcriptũ Diui Adriani ſic loquitur,quaſi grauior pœna ſit metalli: niſi forte hoc ſenſit Diuus Adrianus,gladij pœnam dicendo,ludi damnationem. Eſt autem differentia inter eos qui ad gladiũ,& eos qui ad ludũ damnantur. nã ad gladiũ dãnati, confeſtim cõſumuntur, vel certe intra annũ debent conſumi. Hoc enim *[b] damnatis continetur.Enimuero qui in ludum damnantur, non vtique conſumuntur, ſed etiam pileari & rudem accipere poſſunt [c] poſt inter * palam. Si quidem poſt quinquennium pileari, poſt triennium autem rudem induere eis permittitur.Eodem reſcripto Diui Adriani diligentiſſime expreſſum eſt,non vbique parem eſſe pœnam abigeorum.

a For.maxime.

b For.mãdatis.

c For. poſt interuallũ.

ITEM VLPIANVS
Libro & titulo qui ſupra.

ABIGEI autem proprie hi habentur qui pecora ex paſtu & [d] ex fermẽtis ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur,& abigei ſtudium quaſi artem exercent,equas de grege, vel boues de armentis abducentes. Ceterum ſi quis bouem aberrantem vel equum in ſolitudinem abduxerit, non eſt abigeus, ſed fur potius.Sed & qui porcum vel capram vel Berbicem abducunt, non tam grauiter vt hi qui maiora animalia abigent, plecti debent. Quanquam autem Adrianus metalli pœnam,item operis vel etiam gladij præſti-

d For. ex armẽtis.

tuerit,

tuerit, adtamẽ qui honeſtiori loco nati ſunt, non debent ad hanc pœnam pertinere, ſed aut relegandi erunt, aut remouendi ordine. Romæ tamen etiam beſtiis ſubiici abigeos videmus. Et ſane qui cum gladio abigunt, nõ inique hac pœna adficiuntur.

EXPLICIT DE ABIGEIS.

INCIPIT DE INCENDIARIIS.

MOYSES DICIT. *Si exibit ignis & inuenerit ſpinas, & conprehenderit areas, vel ſpicas, aut campum, æſtimationem reſtituet ille qui ſuccendit ignem.* XII. Exo. 22.

PAVLVS
*Libro * Sententiarum ſub titulo De incendiariis.*

QVI caſam aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum aut in opus publicum damnantur, honeſtiores in inſulam relegantur. Fortuita incendia quæ caſu venti * fuerint his vel incuria ignem ſupponentis, *For.* venti furentis. ad vſque vicini agros euadunt, & ſi ex eo ſeges, vel vinea, vel oliua, vel fructiferæ arbores con-

[a] For. damni æſtim. ſarciantur.

çremẽtur,[a] datum damnũ æſtimatione ſarciatur.

IDEM Paulus

Eodem libro & titulo.

COMMISVM vero ſeruorum ſi domino videatur, noxæ deditione ſarcitur. Meſſium ſane [b] perdum incenſores, vinearũ oliuarumve, aut in metallum humiliores damnantur, aut honeſtiores in inſulam relegantur.

[b] For. per odium.

IDEM Paulus

Libro & titulo qui ſupra.

INCENDIARII[c] quidquid in oppido prædandi cauſa faciunt, facile capite puniuntur.

[c] For. qui quid.

VLPIANVS

Libro octauo de officio Proconſulis.

DE naufragiis & incendiariis lex quidẽ Cornelia aqua & igni interdici iuſſit, ſed variæ ſunt punitionum.[d] Nam qui data opera in ciuitate incendium fecerunt, ſi in humillimo loco ſunt, beſtiis ſubiici ſolent: ſi in aliquo gradu & Romæ id fecerũt, capite puniri, aut certe [e] adficiendi ſunt qui hæc committunt. Sed ei qui non data opera incendium fecerit, plerumque ignoſcitur, niſi in lata & incauta neglegentia vel laſciuia fuit.

[d] For. ſpecies. vel, circunſtantiæ.

[e] Fo. exilio vel deportatione adf.

PAVLVS

Libro ſingulari de pœnis paganorum, ſub titulo De abigeis, dicit.

INCENDIARII qui in oppido prædæ cauſa id admiſerint, capite puniuntur: qui caſu inſulam aut villã non inimicitia incenderint, leuius. Fortuita enim incẽdia ad forũ remittenda ſunt, vt damnum vicini ſarciatur.

VLPIANVS

Libro ad Edictum, ſub titulo Si fatebitur iniuria occiſum eſſe, in ſimplum * & cum doceret.

ITEM ſi inſulam meam aduſſeris vel incenderis, Aquiliæ actionem habebo. idemque eſt & ſi arbuſtum meum, vel villam meam. Quod ſi dolo quis inſulam exuſſerit, etiam capitis pœna plectitur quaſi incendiarius. Item ſi quis inſulam voluerit exurere, & ignis etiam ad vicini inſulam peruenerit, Aquilia tenebitur lege vicini etiam non minus inquilinis ob res eorum exuſtas. & ita Labeo libro x v. Reſponſorum refert. Sed ſi ſtipulam in agro tuo incenderis, igniſque peruagatus ad prædium vicini peruenerit, & illud exuſſerit, Aquilia lex locum habeat, an in factum actio ſit, fuit quæſtio. Sed pleriſque Aquilia lex locum habere non videtur; & ita Celſus libro x x x v i i. Digeſtorum ſcribit. * Ait enim, ſi ſtipulam incendentis ignis fugit, Aquilia lege eum non teneri, ſed in factum agẽdum, quia principaliter hic [a] exuſſit, ſed dum aliud legit ſic ignis præceſſit. Cuius ſententia ſic reſcripto diui Seueri comprobata eſt in hæc verba. * PROFITERI propter ignem pabuli gratia factus culpa ſeruorum Vectoriæ Aſtiliæ euagatus agrum tuum vt proponis, depopulatus eſt, ad exemplum legis Aquiliæ noxali iudicio acturus, ſi litis æſtimatio permittitur, iudicium eum adire poteſt. Videlicet non eſt viſa Aquilia ſufficere. Si forte ſeruus quæ idem conductores coloni ad fornacem obdormiſſent, & villa fuerit exuſta. * muneris ſcribit ex

[a] *For.* nõ exuſſit, ſ. d. al. agit ſic ig. proceſſit.

loca conuentum præſtare debere,ſi neglegens in
* legẽdis miniſteriis fuit tenetur ceterorum ſi alius
ignẽ ſubiecerit fornaci,alius neglegenter cuſtodierit, tenetur namque qui non cuſtodit ſi nihil
hic fecit quæ recte ignem ſubiecit nõ peccauit: quemadmodum ſi hominem medicus recte ſecuerit, ſed neglegenter vel ipſe vel alius curauerit, Aquilia ceſſat. Quid ergo eſt? Et hîc puto ad exemplum Aquiliæ dandam actionem, tam in eum qui ad fornacẽ obdormiuit, vel neglegẽter curauit:ſiue homo periit ſiue debilitatus eſt. Nec quiſquam dixerit in eo qui obdormiuit, rẽ eum humanam & naturalem paſſum,cum deberet vel ignem extinguere, vel ita munire vt non euagaret. Itẽ libro VI. ex Viuiano relatum eſt,ſi fornum ſecundum parietem communem haberes,
* an damni iniuria teneris? Et agi non poſſet id Aquilia lege, quia nec cum eo qui focum haberet. Ideo æquum putat in factum actionem dandam.ſed non proponit exuſtum parietem. Sane enim quæri poteſt, Nondum mihi damnum dederit, & ita ignem habeat vt metuam ne mihi
* det,æquum ſit me inter actionem idẽ in factum imperare. fortaſſis enim de hoc ſenſerit Proculus: niſi quis dixerit damni non facti ſufficere cautionem. Sed & [a] ſi quis ſerui inquilini inſulam exuſſerit,libro x. Vrſeius refert Sabinum reſpondiſſe, lege Aquilia ſeruorum nomine dominum noxali iudicio conueniẽdum, ex locato autem dominum teneri negat. Proculus autem R. cum coloni ſerui villam exuſſerint,colonum vel ex locato * lege Aquilia, ita vt colonus ſeruos poſſet

For. Si ſerui inq.inſul. exuſſerint.

poſſet noxæ dedere: & ſi vno iudicio res eſſet iudicata, altero amplius non agendam. Item Celſus libro XXVII. Digeſtorum ſcribit, ſi cum apes meę ad tuas aduolaſſent, totas exuſſerit, quoſdã negare conpetere legis Aquiliæ actionem, inter quos & Proculum, quaſi apes dominI mei non fuerint. Sed id falſum eſſe Celſus ait, cum apes reuenire ſoleant, & fructui [a] miſſi ſunt. Sed Proculus eo mouetur quod nec manſuetæ, nec ita clauſæ fuerint. hđ. Ipſe autem Celſus ait nihil inter has & columbas intereſſe, quæ ſi manu refugiunt, domi tamen fugiunt.

[a] *For.* mihi ſint.

EXPLICIT TITVLVS de incendiariis.

INCIPIT DE TERMINIA MOTA.

XIII. MOYSES DICIT. NON *transmouebis terminos proximi tui, quos conſtituerũt patres tui vel principes poſſeſſionis tuæ.*

PAVLVS

*Libro * Sententiarum ſub titulo, Finium regundorum.*

IN eũ qui per vim terminos deiecit vel amouit, extra ordinem animaduertitur.

VLPIANVS
Libro IX. *De officio proconſulis, ſub titulo De termino moto.*

EOS qui terminos mouerunt, non impune id facere debere, diuus Adrianus Terentio Gentiano XVII. Kl. Septembriarum ſe III. Consl. reſcripſit: quo reſcripto pœnam variam ſtatuit. Verba reſcripti ita ſe habēt. PESSIMVM factū eorum qui terminos finium cauſa inpoſitos abſtulerunt, dubitari non poteſt. Pœnæ autem modus ex conditione perſonæ & mēte facientis magiſttatui pœnam. Si ſplendidiores ſunt perſonæ quæ conuincuntur, condubito quin occupandorum aliorum finiū cauſa id admiſerint. & poſſunt ad tēpus vt cuiuſque cūpatitur ętas, relegari, & ſic in biēniū aut triēniū ad opus publicū dari. quod ſi per ignorātiā aut fortuitu lapides * viſus cauſa furati ſunt, ſufficit eos verberibus coerceri.

EXPLICIT DE TERMINIA mota.

INCIPIT DE PLAGIARIIS.

XIIII. Ex.21. Deut.24. MOYSES DICIT. QVICVNQVE *plagiauerit quemquam in Iſrael, & vendiderit eum, morte moriatur.*

PAVLVS
Libro ſententiarum V. *ſub titulo ad legē Fabiam.*

LEGE

Lege Fabia tenetur qui ciuē Romanū ingenuū,libertinum, ſeruūve alienum celauerit, vēdiderit,vinxerit,cōparauerit. Et olim quidē huius legis pœna ſummaria fuit:ſed trāſlata eſt cognitio in Pręfectos vrbis,itēque Pręſidis prouinciæ extra ordinē meruit animaduerſionē. Ideoq; humiliores aut in metallū dānantur,aut in crucē tolluntur: honeſtiores adēpta dimidia parte bonorū impp.relegantur. Si ſeruus ſciente domino alienū ſeruum ſubtraxerit,vēdiderit, celauerit,in ipſum dominum animaduertitur.Quod ſi id domino ignorante commiſerit,in metallum datur.

Vlpianvs

Libro ix. *de officio proconſulis,ſub titulo Ad legem Fabiam.*

Freqvens eſt etiā legis Fabiæ cognitio in tribūnalibus Præſidū: quamquam quidā procuratores Cæſaris vſurpauerint quā Romæ tam in prouinciis.Sed enim iā eo peruentū eſt conſtitutionibus, vt Romæ quidē Præfectus vrbis ſolus ſuper ea re cognoſcat,ſi intra miliariū centeſimū ſit in via cōmiſſa.enimuero ſi vltra centeſimum, Præfectorum prætorio erit cognitio. In prouinciam enim Præſidum prouinciarum. neç aliter Procuratori Cæſaris hæc cognitio iniungitur quam Præſidis partibus in prouincia fungatur. Plane poſt ſententiam de Fabia latam Procuratoris partes ſuccedunt. huius certæ adtamen Procuratori qui illam prouinciam regit, licet de capitalibus cauſis cognoſcere nec ſoleat, tamen vt de lege Fabia poſſit cognoſcere Imp. Antoninus conſtituit. Idē legis Iuliæ de adulterIs coer-

cendis cõſtitutione Imperatoris Antonini quæſtionem accepit. Lege autem Fabia tenetur qui ciuem Romanum eundemque qui in Italia liberatus ſit, celauerit, vinxerit, vinctumque habuerit, vendiderit, emerit, quive in eam rem ſocius fuerit: cui capite primo eiuſdem legis pœna iniũgitur, Si ſeruus qui ſciente domino fecerit, dominus eius ſextertiis quinquaginta milibus eo-
* dem capite punietur. Eiuſdem legis capite ſecũdo tenetur qui alieno ſeruo perſuaſerit vt dominum fugiat, quive alienum ſeruum inuito domino celauerit, vendiderit, emerit dolo malo, quive in ea re ſocius fuerit, iubeturque * populus
* ex tertiam quinquaginta milia dare, & reliqua. Sciendum tamen eſt, ex Nouellis conſtitutionibus, capitali ſententia plagiatores pro atrocitate facti puniẽdos: quamuis & Paulus ſupra relatis ſpeciebus, crucis & metalli pœnam huiuſmodi reis inrogauit.

EXPLICIT TITVLVS de plagiarÿs.

INCIPIT DE MATHEMATICIS ET MANICHEIS.

MOYSES DICIT.

XV. *NON inueniatur in te qui luſtret filium tuum aut filiam tuam, nec diuinus apud quem ſortes tollat:*

nec conſentiat venenariis inpoſtoribus qui dicunt quid cõceptum habeat mulier. quoniam fabulæ ſeductoriæ ſunt. Nec intendas prodigia, nec interroges mortuos. Non inueniatur in te augurator, nec inſpector auium, nec maleficus, aut incantator, nec Pitonem habens in ventrem, nec aruſpex, nec interrogator mortuorum, nec portenta inſpiciens. Omnia namque iſta a Domino Deo tuo damnata ſunt, & qui fecerit hæc. Propter has enim abominationes Deus eradicauit Chaldæos á facie ſua. Tu autem perfectus eris ante Dominum Deum tuum. Gentes enim iſtæ quas tu poßides, auguria & ſortes & diuinationes audiebant.

VLPIANVS.

Libro 7. de officio Proconſulis, ſub titulo De mathematicis & vaticinatoribus.

PRAETEREA [a]interdictos eſt Mathematicorum callida inpoſtura & obſtinacitate perſuaſio. Nec hodie primũ interdici eis placuit, ſed vetus hæc prohibitio eſt. Denique extat Senatuſconſultum Pomponio & Rufo Conſs.

a *For.* interdicta eſt

factū,quo cauetur vt Mathematicis, Chaldæis, ariolis,& ceteris qui [a]ſimilem* incertum fecerunt,aqua & igni interdicatur,omniaque bona eorum publicentur: & ſic * eternus gentium qui ſi id fecerit,vt in eum animaduertatur. Sed fuit quæſitum vtrum ſciētia huiuſmodi hominum puniatur,an exercitio, & profeſsio. Et quidem apud veteres dicebatur profeſsionem eorum non noticiam eſſe prohibitam: poſtea variatum. [b]Nam diſsimulandum eſt nonnumquam inrepſiſſe in vſum, vt etiam profiterentur & publice [c]reprehēderent. Quod quidem magis per contumaciam & temeritatem corū factum eſt qui [d]viſi erant vel cōſulere vel exercere, quam [e] qui fuerant permiſſum. Sæpiſsime denique interdictum eſt fere ab omnibus principibus, ne quis omnino huiuſmodi ineptiis ſe inmiſceret: & varie puniti ſunt hi qui id exercuerunt, pro menſura ſcilicet * & conſultationis. Nam qui de principis ſalute, capite puniti ſunt, vel qua alia grauiore pœna adfecti. Enimvero ſiquidem * ſuaſorum que leuius inter hos habentur quam vaticinatores, hij quoque plectendi ſunt: quoniam nonnumquam cōtra publicam quietem imperiumque populi Romani inprobandas artes exercent. Extat denique decretum diui Pij ad Pacatum legatum prouinciæ Lugdunenſis, cuius reſcripti verba quia multa ſunt, de fine eius ad locū hæc pauca ſubiecit. Denique & diuus Marcus eū qui motu Caſsiano vaticinatus erat,& multa qua-

[a] For.ſimilem artē.
[b] For.Nec diſsim.
[c] For. reſpōderēt.
[d] For.auſi erant
[e] F.quàm quòd fuerat perm.

ta quaſi extinctu Deorum, dixerat, in inſulam Syrum relegauit. Et ſane non debent impune ferre huiuſmodi homines, qui ſub obtentu & monitu Deorum, quædam vel renunciant, vel iactant, vel ſcientes eos fingunt.

GREGORIANVS

Libro 7. de maleficis & Manicheis, ſub titulo comp.

MAXIMVS Dioclitianus & Maximianus nobiliſsimi AA. Iuliano Proconſuli Africæ. Otia maxima interdum homines [a] in communionem cõditionis naturæ hominum modum excedere hortãtur, & quædam genera [b] inaniſſima ac turpiſsima doctrinæ ſuperſtitionis inducere ſuadent, vt ſui erroris arbitrio pertrahere & alios multos videantur, Iuliane Kariſſime. Sed Dij immortales prouidentia ſua [c] ornare & diſponere dignati ſunt quæ bona & vera ſunt, & multorum & bonorum & egregiorum virorum & ſapientiſsimorum conſilio & tractatu inlibata probarentur & ſtatuerentur: quibus nec obuiam ire nec reſiſtere fas eſt: neque reprehendi à noua vetus religio deberet. Maximi enim criminis eſt * ſed tractare quæ ſemel ab antiquis tractata & definita ſunt ſtatum & curſum tenent ac poſsident. Vnde pertinaciam prauæ mentis nequiſsimorum hominum punire ingens nobis ſtudium eſt. Hi enim qui nouellas & inauditas ſectas [d] deterroribus religionibus obponũt, vt pro arbitrio ſuo pra-

a For. cõmuniorẽ

b For. immaniſsima

c For. ordinare

d For. deterioribus

* uum excludant quæ diuinitus conceſſa ſunt.
* quoniam nobis de quibus ſolertia tua ſerenitati noſtræ retulit Manicheos audiuimus eos nuperrime velut noua inopinata prodigia in hunc mundum de Perſica aduerſaria nobis gēte progreſſa vel orta eſſe, & multa facinora ibi committere: populos namque quietos perturbare, nec non & ciuitatibus maxima detrimēta[a] inſerere: & verendum eſt ne forte, vt fieri adſolet, accedenti tempore conentur execrandas conſuetudines & * iſtebas leges Perſarum innocentioris naturæ homines Romana gente modeſtam atque tranquillam, & vniuerſum orbem noſtrum veluti venenis de ſuis maliuolis infigere. Et quia omnia quæ pandit prudentia tua in relationem religionis illorum genera maleficiorum ſtatutis euidentiſsimorū exquiſita & adinuenta commenta, ideo eorum
* maenas atque pœnas debitas & condignas illi ſtatuimus. Iubemus namque auctores quidem ac principes vna cum abominandis ſcripturis eorum ſeueriori pœnæ ſubiici, ita vt flammeis ignibus exurantur: cōſentaneos vero & [b] vſque ad eos contentioſos capite puniri precipimus, & eorū bona fiſco noſtro vindicari ſancimus. Si qui ſane etiam honorati aut cuiuſlibet dignitatis vel maioris perſonæ ad hanc inauditam & turpem atque per omnia infamem ſectam, vel ad doctrinam Perſarum ſe tranſtulerunt, eorum patrimonia fiſco noſtro adſociari facies: ipſos quoque Forenſibus vel Proconenſibus

[a] For. inferre

[b] For. vſque adeo cont.

ſibus metallis dari. Vt igitur ſtirpitus amputari *malis hæc nequitiæ de ſæculo beatiſsimo noſtro poſsit, deuotio tua iuſsis ac ſtatutis trãquillitatis noſtræ maturius obſecundare *Dat. prid. Kl. April. Alexandriæ.

EXPLICIT TITVLVS DE *mathematicis, maleficis & Manicheis.*

INCIPIT TITVLVS XVI. DE LEGITIMA ſucceſſione.

SCRIPTVRA DIVINA SIC DICIT.

FILIAE *Salfadæ adſtantes ante Moyſem & Eleazarũ ſacerdotem & principem omnemque Senatum filiorum Iſrael in foribus tabernaculi teſtimonij dixerunt: Pater noſter mortuus eſt, & filij non fuerunt ei, ſed filiæ. & ideo non deleatur nomẽ patris noſtri de medio tribus ſuæ. non eſt ei maſculus. date nobis poſſeſsionem*

in medio fratrum patris noſtri. Et obtulit Moyſes petitionem earum Domino Deo: & locutus eſt Dominus Moyſi, dicens, Recte filiæ Salpadæ locutæ ſunt: & ideo dabitis eis poſſeßionem hereditatis in medio fratrum patris earum. Et dicimus hæc filiis Iſrael, Homo, ſi deceſſerit & filios non habuerit, dabitis hereditatem proximo eorum de tribu eius, & poßidebit omnia eius. Et erit hæc filiis Iſraël iuſtificatio iudiciorum, ſecundum quæ conſtituit Dominus Moyſi.

GAIVS

Inſtitutionum libro 3. legitimas ſic ordinat ſucceſſiones.

INTESTATORVM hereditates lege duodecim tabularum primũ ad ſuos heredes pertinent. Sui autem heredes exiſtimantur liberi qui in poteſtate morientis fuerint, veluti filius, filia, vel nepos neptiſve, pronepos proneptiſve, ex nepote filio nato prognatus prognatave. nec intereſſe, naturales liberi an adoptiui. Ita demum tamen nepos neptiſve, & pronepos proneptiſve ſuorum heredum numero ſunt, ſi præcedens perſona deſierit *ſiue alia ratione, veluti emancipatione. Nam ſi per idem tem-

tempus quo quiſque morietur, filius in poteſtate eius ſit, nepos ex eo ſuus heres eſſe non poteſt. Idem & in ceteris deinceps liberorum perſonis dictum intellegimus. Vxor quoque quæ in manu eius eſt, [a]Is ſua heres eſt: quia filiæ loco eſt. item nurus quæ in filij manu eſt. nam & hæc neptis loco eſt. ſed ita demum erit ſua heres ſi filius cuius in manu erit, dum pater moritur, in poteſtate eius non ſit. Idemque dicimus & de ea quæ in nepotis manu matrimonij cauſa ſit. quia proneptis loco eſt. Poſtumi quoque qui ſi viuo parente nati eſſent, in poteſtate eius futuri forent, ſui heredes ſunt. Idem iuris eſt de his [b]quorum nomina ex lege Ælia Sentia vel ex Senatuſconſulto poſt mortē patris cauſa probata in poteſtate eius futuri eſsēt: & de eo filio qui ex prima ſecundáq; emancipatione poſt mortem patris manumittitur, intelligimus. Cum filius filiave & ex altero filio nepotes nepteſve exiſtēt, pariter ad hereditatē vocātur, nec qui gradu propior eſt vlteriorem excludit. Æquū enim videtur nepotes nepteſve in patris ſui locū portionemq; ſuccedere. Pari ratione etſi nepos neptiſve ſit ex filio, & ex nepote pronepos proneptiſve, ſimul vocantur. Et quia placebat nepotes nepteſve, itē pronepotes pronepteſve in patris ſui locū ſuccedere, cō ueniens non in capita, ſed in ſtirpem hereditates diuidi: vt filius dimidiā partem hereditatis fruat, ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam. Item, ſi ex duobus filiis nepotes

[a] For. ei ſua h.

[b] For. quorum nomine

extent, ex altero filio vnus forte vel duo, ex altero tres aut quattuor, *altera dimidiam. **De agnatis.* Si nullus ſit ſuorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege duodecim tabularum ad agnatos. Vocantur autem agnati qui legitima cognatione iunƈti ſunt. Legitima autem cognatio hæc eſt quæ per virilis ſexus perſonas coniungitur. Ita qui eodem patre nati ſunt fratres, agnati ſibi ſunt, qui etiam cõſanguinei vocantur: nec requiritur an matrem eandem habuerint. Item patruus fratris filio, & inuicem is illi agnatus eſt. Eodem numero ſunt fratres patrueles inter ſe, id eſt, qui ex duobus fratribus progenerati ſunt: quos plerique etiam conſobrinos vocant. Qua ratione ſcilicet etiam ad plures gradus agnationis peruenire potuerimus. Non tamen omnibus ſimul agnatis dat lex duodecim tabularum hereditatem, ſed his qui tunc cum certum eſt aliquem inteſtato deceſsiſſe, proximo gradu ſunt, nec in eo iure ſucceſsio eſt. Ideoque ſi heres proximus omiſerit, vel antequam hereditatẽ adierit, deceſſerit, ſequentibus nihil iuris competit. Ideo autem non mortis tempore [a] certum fuerit aliquem inteſtatum deceſsiſſe quam ſi quis teſtamento faƈto deceſſerit, melius eſſe viſum eſt tunc requiri proximum, cum certum eſſe cœperit neminem ex teſtamento heredem fore. Quod ad feminas attinet, hoc iure aliud in ipſarum hereditatibus capiendis placet, aliud in ceterorum ab his capiendis. Nam

[a] For. ſed cum certum f.a.i. dec. quia ſi

Nam & feminarum hereditates proinde agnationis iure redeunt atque maſculorum. noſtræ vero hereditates ad feminas vltra conſanguineorum gradum non pertinent. Itaque ſoror fratri ſororíve legitima heres eſt: amita vero & fratris filia heres eſſe non poteſt. Sororis autem nobis loco eſt etiam mater aut nouerca, quæ per in manum conuentionem apud patrem noſtrum ius filiæ conſecuta eſt. Si quis defunctus erit, ſi ſit frater & alterius fratris filius, ſicut ex ſuperioribus intelligitur, frater potior eſt, quia gradu præcedit. ſed alia [a] faciat iuris interpretatio inter ſuos heredes. Quod ſi defuncti nullus frater exſtet, ſed ſint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet. ſed quæſitum eſt ſi diſpari numero ſint, forte nati ex vno vnus vel duo, & ex altero tres aut quatuor, vtrum in ſtirpes diuidenda ſit hereditas, ſicut inter ſuos heredes iuris eſt, an potius in capita. Iamdudum autem placuit in capita diuidendam hereditatem. Itaque quotquot erunt ab vtraque parte perſonæ, [b] in tot portiones fuerunt. Si nullus agnatus ſit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat. Qui ſint autem gentiles primo Commentariorum & vltimum eſt. & cum illic admonuerimus gentilitium ius in deſuetudinem abiiſſe, ſuperuacuum eſt hoc quoque loco de ea re curioſius tractare.

a *For.* facit: *vel* fuit

b *fort.* tot port. fient.

PAVLVS

Libro ſententiarum VII. *ſub titulo De teſtamentorum ſucceſſionibus.*

INTESTATI dicuntur qui teſtamentum facere non poſſunt, vel ipſi linum, vt inteſtati decederent, abruperunt: vel hi quorum hereditas repudiata eſt, cuiuſve conditio defecerit. Sine iure Prætorio factum teſtamentum [a] abiecta doli expectatione obtinebit. Eorum quorum teſtamenta rumpuntur, aut inrita fiunt, ipſo quidem iure *teſtamenti decedunt. *Inteſtatorum hereditas lege duodecim tabularum, primum ſuis heredibus, deinde agnatis & aliquando quoque [b] gentibus deferebatur. Sane conſanguineis lex non adprehenderat, interpretatione prudẽtium primum inter agnatos locum acceperunt. Sui heredes ſunt hi: primo loco filius, filia, in poteſtate patris conſtituti; nec intereſt adoptiui ſint an naturales, & ſecundum legem Iuliam Papiamve quæſiti, modo maneant in poteſtate. Qui ſui heredes ſunt, ipſo iure heredes etiam ignorantes conſtituuntur, vt furioſi, aut infantes, & peregrinantes, [c] quibus bonorum poſſeſsionis propter Prætoriam actionem non erat neceſſarium. In ſuis heredibus adeo ad mortem teſtatoris rerum hereditariarum dominium continuatur, vt nec tutoris auctoritas pupillo, nec furioſis curator ſit neceſſarius, niſi *forte [d] ſoluenda ſit hereditas: quamuis etiam furioſus ſi reſipuerit, & pupillus ſi adoleuerit, abſtinere poſsint.

[a] For. obiecta doli exceptione obt.

[b] For. gentilib. def. Sanè conſanguineos l. n. adpr. ſed interpr.

[c] For. quibus ius bon. poſſ. pr. pr. act. non erit nec.

[d] For. ſoluendo nõ ſit h.

Poſt

Poſt mortem patris natus, vel ab hoſtibus reuerſus, aut ex primo ſecundove mancipio manumiſſus, cuiuſve erroris cauſa probata, licet non fuerint in poteſtate, ſui tamen patri heredes efficiuntur. Poſt filios, filias, ad inteſtatorum ſucceſsionem inter ſuos veniunt nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, ac deinde maſculino ſexu poſt filium deſcendentes, ſi nullus parentum impedimento ipſis in aui poteſtate vel proaui familia remanſerit. Parentes enim liberis ſuis cum quibus in poteſtate fuerūt ipſi ordine ſucceſsionis obſiſtunt. Filij ſi cum nepotibus ex alio filio ſuſceptis in familia retinentur, ab inteſtato ad patris ſucceſsionem cū fratris filiis vocantur: quibus in patris ſui partem venientibus, hereditas in ſtirpes non in capita diuiditur, ita vt filius & plures nepotes ſingulos ſemiſſes habeant. [a]Idque euenit ſi ab eo ex duobus filiis * in patrum numero nepotes ſucceſſerint. Ex filia nepotes ſui heredes non ſunt. in aui enim materni poteſtate alienā familiam ſequentes, ipſa ratione eſſe non poſſunt. Eo tempore ſuus heres conſtituendus eſt, quo certum eſt aliquem inteſtatum deceſsiſſe: quod ex euentu deficientis conditionis, & ortu nepotis qui viuo auo poſt mortem patris natus, iniri poteſt. Quem filius emancipatus ſuſcepit, vel adoptauit, ſui heredis locū in aui ſucceſsione, ſicut ipſe pater, obtinere non poteſt.*Adoptiuus tamen ne quaſi cognatus bonorum poſſeſsionem eius potiri poteſt. Si ſui

a *For.* Idémque euenit ſi cū eo ex d.f.in pari num. n. ſ.

heredes non ſunt, ad agnatos legitima hereditas pertinebit, inter quos primum locum conſanguinei obtinent. Agnati autem ſunt cognati virilis ſexus per virilem deſcẽdentes, ſicut filius fratris, & patruus, deinceps & tota ſucceſſio. Inter agnatos & cognatos hoc intereſt. In agnatis enim etiam cognati continentur: inter cognatos vero agnati non comprehenduntur. Et ideo patruus agnatus eſt & cognatus, auunculus autem cognatus tantummodo eſt. Conſanguinei ſunt eodem patre nati, licet diuerſis matribus, qui in poteſtate fuerunt mortis tempore, adoptiuus quoque frater ſi non ſit emancipatus, & hi qui poſt mortem patris nati ſunt, vel cauſam probauerũt. Soror iure conſanguinitatis tam ad fratris quam ad ſororis hereditatem admittitur. Conſanguineis non exiſtentibus, agnatis defertur hereditas, prout quis alterum gradu præceſſerit. Quod ſi plures eodem gradu conſiſtunt, ſimul admittuntur. Si ſit frater defuncti, & fratris filius & nepos *fratres & non exiſtentes *filius fratris nepoti præfertur. Sed ſi duorum fratrum ſint liberi, non in ſtirpes ſed in capita hereditas diſtribuitur, ſcilicet vt pro numero ſingulorum [a] virium diſtribuatur hereditas. Feminæ ad hereditates legitimas vltra conſanguineas ſucceſsiones non admittuntur. Id quod iure ciuili Voconia [b] ratione videtur effectum. ceterum lex duodecim tabularum ſine vlla diſcrepatione ſexus cognatos admittit.

[a] F. iurium: aut viritim.

[b] F. relatione vel rogatione.

VLPIA-

VLPIANVS libro ſingulari ſub titulo de legitimis hereditatibus, INTESTATORVM gentilitiorum hereditates pertinẽt primum ad ſuos heredes, id eſt, liberos q in poteſtate ſunt, ceteróſque qui liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſint, ad conſanguineos, id eſt, fratres & ſorores ex eodem patre. Si nec hi ſunt, ad reliquos agnatos virilis ſexus per mares deſcendentes eiuſdem familiæ. His enim cautum eſt * lege duodecim tabularũ hac, SI INTESTATVS MORITVR [a] CVIVS HERES NEC EST AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABEATVR. Si agnatus defuncti non ſit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat his verbis, [b] SI GNATVS NESCIT GENTILES FAMILIAM HERES HANC. nec gentilitia iura in vſu ſunt.

a For. cui ſuus heres eſt, agn. pr. f. habeto.

b For. ſi agnatus nec ſit, gent. f. habeant.

[c] ITEM ab inteſtato inſtitutionũ. AB inteſtato quoque hereditas defertur aut per ius ciuile, aut per Prætoris beneficium. per ius ciuile ſuis heredibus, vel liberis qui in poteſtate fuerunt, filij filiæ & deinceps qui in locum defuncti parentis, qui ex eodem nati ſunt, ſuccedunt.

c For. Item l. II. Inſtit. ſub tit. de ſucceſsionib. ab inteſtato.

ITEM eodem libro. POST ſuos ab inteſtato legitimi admittuntur, primum conſanguinei, ij ſunt fratres & ſoror qui in eiuſdem poteſtate patris fuerunt, & ſi ex diuerſis matribus nati ſunt. Conſanguineos & adoptio facit, & adrogatio, cauſæ probatio, & in manu conuentio.

ITEM eodem libro. [d] ET conſanguineis le-

d For. A cõſang.

gitimi vocantur. hi ſunt agnati qui nos per patris cognationem cõtingunt virilis ſexus. Nam ſciendum, feminis vltra cõſanguineas, hereditates legitimas non deferri. Suis Prætor ſolet emãcipatos liberos, itemque ciuitate donatos coniũgere data bonorum poſſeſsione: ſic tamẽ vt bona, ſi quæ propria habent, his qui in poteſtate manſerunt, conferant. Nam æquiſsimum putauit neque eos bonis paternis carere, per hoc quia non ſunt in poteſtate, neque præcipua bona propria habere, cum partem ſint ablaturi ſuis heredibus.

Item libro qui ſupra, *De ſuis heredibus. Poſt conſanguineos Prætor vocat cognatos. Cognati autem ſunt qui nos per patrem aut matrem contingunt. Poſt cognatos virum & vxorem. Et hæc ſi qui deceſsit, non fuit libertinus vel ſtirpis libertinę. Ceterũ ſi libertinus eſt vel libertina, ad patronũ eius legitima hereditas patronamve lege duod. tabul. refertur.

Item eodem libro, Post [a] familiam patroni vocat Prætor patronum & patronam: item liberos & parentes patroni & patronæ. deinde virũ & vxorem, mox cognatos patroni & patronę. Quod ſi is qui deceſsit liber fuit ex remãcipatione manumiſſus, lex quidem duod. tabularum manumiſſori legitimam hereditatem detulit: ſed Prætor æquitate motus decem perſonas cognatorum ei prætulit has, patrem, matrem, filium, filiam, auum, auiam, nepotem, neptem, fratrem, ſororem, ne quis occaſione iuris, ſanguinis neceſsitudinem vinceret. Sed Impera-

[a] For. fam. liberti,

Imperator noſter in hereditatibus quæ ab inteſtato deferuntur, eas ſolas perſonas voluit admitti quibus decimę immunitatē ipſe tribuit.

P. PITHOEI, VIRI DOCTISSIMI, ET aliorum emendationes, quorundam locorum, ex coniectura.

Pag 13. ver. bus] *For.* Itaq'.e & 1 e.d. 1.ae temperatè tuos tractare, vt & facile requirere eos poſſis. ne, ſi apparuerit vel imparem re impendijs eſſe, vel atrociorem dominatione ſæ. ex n. h.pr. V.C n.q.t.:.a. prænenire te, & ex m. 1.au ad al.e. c. Glabrione & Omullo Conſs. Pag.15.v.bus abr.] *For.* Sec.v. cap p. patri, ſi in filia ſua, quam in pot.habet, aut in ea quæ eo auctore cum in p.e.v. in m.c.ad.domi ſ.g.ſ.d. inque eam rem ſ a. vt is pater eum adul. *&c.* Ibidem.v.ctoritate] *For.* Auctoritate quoque paterna (*vt habes in marg*) *vel*, Auctoritate quoque legis patrem poſſe interficere vel conſul.item vel patri. ſ. *&c.* Pag 18. v.eum non] *For.* non dubitatur. Sed ſi de p.tractas, quin aliquid eius h.c. permittatur. non ambigitur. Sic dicit, non ambigitur, non vt quaſi h. 21. P.19..v.adul.] *Lege* vxore ita d.adult.mar. P.20.v gare] *For.* Orienti vicarie Kariſſime nobis. P.22.v.Libro] *For.* Sub titulo de nuptijs. P.24 v.ſtinere] Nihil enim niſi ſanctum ac venerabile n.i. euſt. & ita ad t. m. Romana maieſtas cunctorum numinum fauore pet.q. om.leges ſuas rel. *&c.* *Paulo poſt*, contra diſciplinam veterem indulta. *Et infra*, qui tam euidenti crimini ſe poſt ed ctum noſtr.non dub.inſuere. *Vel*, tam euid.crimine ſe inficere. P.25.v.Prop.] *For.* Tiberiano & Dione conſſ. P.28 v.occid.] *Lege*, quia non iniuria occidit. P.32.v.centur.] *For.* ſi quis ob renunciandum remittendúmve teſtim. P. 34. v.In mand.] *For.* In.m.verò iudicio dolus & culpa præſtatur: itémque in tutelæ iudicio, quanuis pupilli non etiam tut. P.46.v.quod ſi] *For.* vſus cauſa fur. P 48. v ciuem] *For.* eúmve qui in Ir.Ibidem.v. quine] *Lege* populo. P.51.v.quæ repre] For.ver. rel.debet. Max. enim corp. eſt retractare quæ ſi ab ant ro. & def.ſuū ſt. & cur. *&c.* P.53.v.ſibus] *For.* vt ig.ſtir.pamputari radix hæc neq; de ſeculo noſtro beatiſſ. poſſit, deuotio tua i.ac ſt. tr.n.obſecundare feſtinet. P.58.v.unt. *For.* quanuis ipſo quidem iure teſtati decedant, ſecundum tabulas bonorum poſſeſſio datur, ſi ſeptem teſtium ſignis ſignatæ ſint.

PRAECEDENTIBVS EMENDATIONIbus addendæ ſunt iſtæ, quæ inter Pithœi notas non habentur.

Pag.46.v. *dus* ex]ex cond.perſ. & mente facientis magis ſtatui poteſt. *Paulo poſt*, non dubito quin occ. alienorum fin. cauſa id aduiſerint.& p.ad tem.vt cuiuſque patierut ætas.tel.

P.61.in marg.lege, *For.* cui ſuus hæres nec eſt,

1008.110

BIBLIOTECA